This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

[illegible]

[illegible]

[illegible]

NARRATIO
MORTIS IN ODIVM FIDEI
Londini in Angliâ illatæ
R.A.P. MAVRO SCOTTO;
Ordinis S. Benedicti Monacho Anglo, Monasterij S. Benedicti de Sahagun in Hispaniâ &c.

Descripta,

A P. IOANNE RVBEO,

Congregationis Angliæ eiusdem Ordinis Monacho.

AD ILLVST. ET REVER. D.
D. RAYNVTIVM SCOTTVM.

ROMÆ, Typis Iacobi Dragondelli. MDCLVII.

Superiorum Permissu.

110. k. 628.

Imprimatur,

Si videbitur, Reuerendiſsimo Pat. Magiſt. Sacr. Pal. Apoſt.

M. A. Oddus Viceſg.

Imprimatur,

Fr. Georgius Raynoldi, Magiſter, & Reuerendiſs. P. Fr. Raymundi Capiſucci Sacr. Pal. Apoſt. Mag. Socius, Ord. Præd.

LICENTIA

R. A. P. Laurentij Raynerij Congregationis Angliæ Ordinis S. Benedicti Præsidis &c.

NOS Laurentius Raynerius Congregationis Angliæ Ordinis Sãcti Benedict. Præses &c. R. P. Ioanni Rubeo, eiusdem Congregationis sacerdoti & Monacho &c. concedimus licentiam typis edendi *Narrationem mortis, in odium fidei Londini in Anglia illata R. A. P. Mauro Scotto Ordinis S. Benedicti monacho &c.* vt mortis illius, causam modumque alii perspecta habentes, habeant pariter argumentum laudãdi pientissimam bonitatem Dei, qui tantum ei robur animi, & fortitudinem dedit, Nos vero, qui fratres illius sumus, singulare documentum patientiæ, & charitatis. Tantoque magisterio edocti, quantũ poterimus, seriò consideremus, quanti ea causa

æstimanda sit, quæ tam fortem præstantemque pugilem habuit; atque eũ imitati, e legũ nostrarum officijq. præscripto, totos nos sic dedamus illi ornandæ, & propagandæ, etiã sanguinis vitæque oppignoratione, vt a fidei hostibus agitati, obiecti periculis, coniecti in vincula, carcerum oppressi squallore, quibuscunque obruti malis, ipsiusque etiam truculentæ mortis horrore circumdati, *aspicientes*, exemplo illius, *in authorem fidei, & consummatorem Iesum*, omni, *confusione contempta*, hoc vnum timeamus, ne quid magis quam Deum timeamus. Datum in monasterio S. Laurentij de Dei custodia in Lotharingia 20. Ianuar. 1657.

Ad Hebr. c. 12.

Locus ✝ sigilli

F. Laurentius Raynerius
Præses &c.

Fr. Augustinus Connestabilis Secretarius.

DECLARATIO Authoris.

NE priuatus, publicam, homo sexcentis erroribus obnoxius, illius, qui in rebus diuinis non potest errare, S. Ambr. c. 2. in ep. ad Colos. *prouinciam inuadens*, traditioni suæ nomen religionis imponeret, *Vrbanus VIII. æternæ memoriæ sapientissimus Pontifex 14. Martij 1625. statuit*, ne quis imprimeret libros, eorũ hominum, qui sanctitatis, siue martyrij fama, vel opinione celebres e vita migrauerunt, gesta, miracula, vel reuelationes &c. continentes, sine recognitione, atque approbatione ordinarij &c. *Et die 5. Iunij 1631.* ne admitterentur elogia Sancti, vel Beati absolute, quæ cadunt super mores, & opinionem &c. cum protestatione in principio, quod ijs nulla adsit authoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantum sit penes authorem, &c.

In

In quæ ne peccem, profiteor, protestorq; me hac in narratione, neque aliã mihi ab historica fidẽ asserere velle, neq; illi, quẽ narro, peculiarem cultum, aut venerationem, quæ solam post Sedis Apostolicæ declarationem debentur: sed more ab Ecclesia recepto, quà potero sinceritate commendare posteritati gesta hominis, cui, in odium fidei, fidei hostes vitam eripuerunt. Quodcunque autem, hoc dum conor, scripsero, decretis, & censuræ, S. Romanæ Ecclesiæ sponte lubensq; submitto, firmiter persuasus, eum, qui militanti Ecclesiæ non obedit; triumphanti placere non posse.

P. Ioannes Rubeus Monachus Anglus Ordinis S. Benedicti manu propria.

mo, mo no
ILL. ET REVER. D.

D. RAYNVTIO SCOTTO,

OLIM BVRGI S. DONINI Episcopo,

Primùm ad Catholicos Heluetiæ, deinde ad Christianissimum Gallorum Regem

NVNTIO.

Sanctissimorum in Christo PP. DD. Vrbani VIII. Innocentij X. & ALEXANDRI VII. iam feliciter regnantis,

Prælato familiari, Assistenti, &c.

TVOS ad lares, *Illustrissime, & Reuerendissime Præsul*, non solius tesserâ nominis P. Maurus Scottus diuertit. Namquæ ipsum genuit Insula, tuis fuit natale

talè solum; quam causam sanguine propugnauit, multa peruigil cura, & labore impiger Sedis Apostolicæ Nũtius ornasti; quas sine diminutione possides virtutes, velut hospitalia numina secum adducit. Si difficilis aditu esses, iret per antiquitatem, per nobilitatem, & decora iret familiæ tuæ.

Antiquissimã cõmemoraret e clarissima Duglassiorum in Scotia Comitum egressam, à Gulielmo Duglassio, (qui ductis è patria quatuor millibus militum, egregium momentum attulit ad bellum, (quo Carolus Magnus Desiderium Longobardorum regem Apostolicæ inuadentem iura sedis, deuicit,) anno reparatæ salutis 775. Placentiæ constitutam: sed frustra id faceret, cum nihil apud Te antiquius, quam facilem omnibus comemque Te exhibere.

Narraret illius connubia, cum Gonzagis, ViceComitibus, Collaltis, Strozzis, Fliscis, Dorijs, Rubeis, Pallaui-

uicinis, Lodronijs, San Vitalibus, Beuilaquis, Anguisciolis, Lādis, Triuulsijs, Alciatis, Maluicinis, Nerlis, Vernis, Comitibus de Arco, & de S. Secundo: sed neque illud apud Te necesse, qui ipsammet tibi benignitatem connubio stabili consociasti.

Praedicaret cum Sanzouino splendorem illius, quae, vtcumque pro rerū humanarum vicissitudine, deiecta a summo Placentiae principatu, *illis tamen fortuna affluit bonis, Vt quinquagena,* (iam octogena) *mille scuta in censu annuo, in possessione Fombiū, Gazzanum, Guardameglium, Castellum de Bosco, Sarmetem, Gragnanum, Vigolinum, Rioluum, Viannis marinum, & Fontanam numeret,* quibus addi possunt hodierno die Montalbum, Sanminiatum, Carpinetum, Grattagum, Guarzium, Passanum, Canfremagum, Cherium. *Ea faelix prole multiplici, Vt Comites de Vigolino, de Agazzano, &*

Sāzonimus de familijs illust. Italię In familia Scotta.

 de

de Sarmete, velut nobilissimas colonias; e sinu virorum, et armis & literis illustrium, fecundo emiserit. At enim uero superuacaneum pariter hoc esset, cum nihil æque splendidum apud Te, quam omnibus humanitatis officijs prælucere.

Titulos percurreret, cogeretque ad censum egregios sago, & toga viros, bello inclytos, infulis claros, Imperatorum, à consilijs, familiares, Gubernatores, Potestates, quas vocant, seu Prætores Ticini, Mediolani, Placentiæ, ipsumque Albertum Placentiæ Principem; sed neque attinet illud, cum summis in titulis ponas, summe homines beneficijs demereri.

Et plane, si titulos, vel potior accederet, consectari vellet, aut decora ingerere familiæ tuæ, satis esset abunde, Teipsum tibi præsentare, qui ea singula in Teipso, velut lucidissimo speculo repræsentas. Ita in te, ceu lapide

pide exactè talis tuo positum, quisquid vbique in tuis fuit; sic, quicquid præstantiæ in ijs partium, in ipso pulcherrimo opificio, apis argumento, effinxisti.

Nam si Fredericum Scottorum domus produxit *excellentem, & illustrē,* vt Sanzouinus habet *Iurisconsultum,* quis illud Tibi decus eriges, qui vigesimo ætatis anno, laurea ornatus doctorali, mox adlectus in Referendarium vtriusque Signaturæ, ab optimo Paulo V. idoneam illuc & notitiam, iudicium acre, summam cum eruditione eloquentiam ad causas attulisti.

Sāzouinus vbi supra.

Esto, fuerit Ioannes Gulielmi filius circa annum Domini [illegible] Philosophus, fuerint [illegible] Angliæ doctrina clari, scriptis illustres, qui tamen eam Te manere laudem inficiabitur, qui Helueticorum Rempublicam, politiam sacram [illegible]

ritus, oeconomiam victuro calamo descripsisti.

Demus Donatum Bobiensis, octauo post Christum sæculo, & Christophorum, ebulliente Caluiniana hæresi, Cabilonensis Ecclesiæ infulis decoros, pietate insignes, velut astra maiora emicuisse; illum cultorem, defensorē, propagatorem fidei; hunc pugilem acerrimum, & verbo eam, atq. armis tutantem, Mineruum, suæ diœcesis oppidum, profligatis hæreticis, recepisse; Quisquam ne tamen, tibi esse poterit tam iniquus, vt Te spoliatum velit eiusdem fidei propugnatæ gloria, qui e Burgi S. Donini Episcopo Nuntius Romanæ Sedis ad Catholicos Heluetios, nullis pepercisti cēsibus, labori nulli, ipsiusmet tuæ prodigus vitæ, vt eam defenderes, ornares, amplificares.

Quis negat inclytos bello viros fuisse, ipsumque et Gulielmum, qui fa-

miliam in Italia plantauit, Petros, Pa-
ridas, Nicolaos, Paulos, Honorios, Troilos, Paulos Aemilios, Albertos? Sed neque ea vacas laude, qui militis Pontificij in bello contra principes foederatos praefectus in tota ditione Picena, pari virtute, atque prudentia, quantum homini fas ecclesiastico, arma disposuisti.

Orlandum Ticini, atque Mediolani Potestatem, quem vocant, Raynaldum Placentiae, qui memorabit posteritati; memoret pariter Illustrissimam & Reuerendissimam Dominationem tuam, Ariminum, Montaltum, Spoletum, totumque Picenum, principis cum approbatione, cum populorum applausu administrasse.

Onufrio & Raynaldo magnae datum laudi à Sanzouino, quod titulos gradusque dignitatum ab Henrico VII. Caesare, & Ioanne Rege Bohemiae pro meriti; Francisco, & Alberto secun-

cundis, quod Carolo IV., & Sigismundo Imperatoribus à consilijs, & conuictores fuissent; sed neq. ab hac laude abes, tribus optimis, maximis, & sapientissimis Pontificibus, Vrbano VIII. Innocentio X. & Alexandro VII. Prælatus familiaris, & Assistens.

Quæ habent præclara Scriptores de Raynaldo Legato Pontificio redëpti orbis an. 1263, de Antonio Maria oratore ad Iulium Papam secundum, quid habent præclari, quod assequtus, dicam, an prætergressus non sit Illustrissima, & Reuerendissima D. tua, quæ Apostolicæ Sedis ad Catholicos pagos Heluetiæ nouem annis, mox ad Christianissimum Gallorum regem ordinarius, atque extra ordinem Nuntius, amplissimum dignitatis gradum, (qui virum literis eminentem excultum requirit, totaque, virum rerum hominumque experientia,

tia, prudentia insignem) impleuit, vi-
cit hominum expectationem?

Quãta laus! quale decus! gloria quã-
ta Frãcisci III! qui decurrẽte sæculo à
Virgineo partu decimoquarto, sapiẽ-
tiæ suæ opinione hominum sic im-
buerat animos, vt arbiter perpetuus
fuerit, concertationum, quæ Guelfos
inter & Gibellinos gliscebant? ea autẽ
laude, splendore illo, ea gloria Te e-
micuisse amplissimo suffragio docuit
Catholicus Hispaniarum monarcha,
ingens testis, qui cum tractarentur fe-
riæ armorum inter ipsum & Christia-
nissimum regem, eam habuit de tua
integritate, atque notitia vtilita-
tis regum, & regnorum, vt suæ
momenta causæ rationesque Tibi, ad
regem, quîcum bella gerebat, Nun-
tio, loco hostili constituto, cum ho-
minibus suæ gentis æmulis versanti,
inter medios degenti hostes existima-
uerit committenda. Sciebat enim à

Te,

Te, qui nobilissimo ortus, nobilitatis omnia illus decora complexus, illius splendorem tua auxeras luce, dignitatem virtute, pietate religionem, & perspectũ habebas quicquid vnius cuiusque, seu causæ rationes petebãt, seu postulabat dignitas personæ, quicquid, vel rerum temporumque vrgebant circũstantiæ, vel christianæ rei necessitas exigebat, nihil potuisse proficisci, quod non esset ex adytis iustitiæ, e penetralibus æquitatis.

Quid igitur mirum, si Eminentissimus, & Reuerendissimus Franciscus Cardinalis Barberinus Archipresbyter, vt loquuntur, Basilicæ Vaticanæ, Vicariam illius dignitatem obtulerit tanta pietate viro? tanta prudentia Innocentius X. acerrimi iudicij Põtifex pontificiæ domus, & Palatij præfecturam? Quam sub optimo Maximo ALEXANDRO VII. iam feliciter regnante pariter exercuisti, donec ipso

an-

annuente, post Teipsum, cum lauda-
tissima opera, impensum per 40. an-
nos rebus negotijsque Romanæ Se-
dis, posses otio & senectute, raro præ-
stantique in aula priuilegio, frui.

Sed maxima hæc, & spectatissima,
P. Maurus Scottus omittit, commu-
ne tibi cum ipso cognomen Scotti si-
let, Duglassiorum in Scotia, à qui-
bus originem ducis, amplitudinem
præterit; Scottorum, olim Cestriæ
in Anglia Comitum, claritatem, at-
que eorum, qui florentes diuitijs,
nobilitate illustres idem nomen, ean-
demque familiam diuersis eiusdem
dem regni prouincijs magno cum de-
core sustinent, splendorem tacet, ne-
que ingerit Placentinæ domus præ-
stantiam, titulos, magnificentiam,
dignitatem, contentus inuictum ani-
mi robur, decora vulnera, fusum san-
guinem, mortem inclytam ostentare.
Hæc enim, omnibus fortunæ bonis, do

nisque naturæ pluris apud Te & po-
tioris momenti, fortius ipsum cōmen-
dabunt, benignumque impetrabunt
accessum, ingens Scotorum nominis
ornamentum allaturo. Interim vt opti-
mus Maximus Deus Illustrissi-
mam, & Reuerendissimam Domina-
tionem tuam, per militantis Ecclesiæ
præstantiora munera circumlatum, cō-
digno remuneretur præmio in trium-
phante, atq. æterna fœlicitate beet,
Illus, & suo nomine precabitur.

Illustriss. & Reuerendiss. D. T.

Seruus Humil.

F. Ioannes Robertus

ELENCHVS CAPITVM.

CAP. I.

HAERESI, rerum in Anglia potitæ, & conanti proterere Catholicam religionem, complures egregiæ doctrinæ viri se opponunt: iis se adiungunt sodalitij S. Benedicti monachi: e quibus P. Maurus Scottus, atque alij, dum partes suas implent, in odium fidei, a fidei hostibus trucidantur. pag. 1.

Cap. II. [illegible] Scoti patria, parentes, studia, conuersio ad fidem catholicam, recessus in Hispaniam, vbi monachum induit. pag. 7

Cap. III. Reuersus in Angliam capitur. In carceres conicitur: mittitur in exilium: Denuo reuersus, denuo comprehenditur: Superintendenti Londinensi sistitur examinandus, pag. 14.

Cap. IV. A Domino Superintendente, quem vocant, Londinensi, examinatur. pag. 24

Cap. V. Fœlix rerum nostrarum exitus a Deo orandus, sperandusque, nihilominus eorum omittendum a nobis, quæ ad illum conducant. Hoc vsus consilio P. Maurus, ad agonem fœliciter consummandum: orauit diuinum auxilium, adhibuit suam industriam atque aliorum preces: cum D. Richardo Neoportio sistitur Comitijs, quorum forma in causis capitalibus describitur. pag. 31

Cap.

Cap. VI. *Ab ipsismet iudicibus sacerdotij accusatur: D. Superintendentem, cumprimis cæteris urgentem, vellicat, quod cum Episcopus haberi vellet, causis capitalibus se immisceret: condemnatur: fatetur se familiæ Benedictinæ monachum, & sacerdotem: scribit ad suæ gentis & Ordinis monachos Duaci commorantes.* pag. 38.

Cap. VII. *D. Richardus Neoportius sacerdos e venerando clero sæculari, & P. Mauri in morte socius, duodecim annorum puer proficisci cogitat ad bellum Hungaricum; subductis autem aliter rationibus totum se destinat utilitati patriæ suæ: post septennium studijs impensum Romæ in Collegio Anglorum, in Angliam reuersus captusque, eijcitur in exilium: denuo rediens, denuo comprehensus proscribitur; tertio demum remeans, capitur: coram iudicibus [illegible] examinatur & condemnatur.* pag. 48.

Cap.

Cap. VIII. *Modus supplicij sacerdotibus Catholicis irrogari soliti: eo afficiendi D. Richardus, & P. Maurus trahæ impositi raptantur Tiburnum; P. Maurus, oratione ad populum habita, seipsum & Catholicos à crimine læsæ maiestatis purgat, eorumque & suam innocentiam declarat.* p. 54.

Cap. IX. *D. Richardus Neoportius exponit rationes vitæ suæ: Vindicat se à crimine læsæ maiestatis: magno fertur desiderio patiendi mortem: Abacta curru tam P. Mauro fatali trabi appenduntur: Vterque dissectus excenteratur.* pag. 66.

Cap. X. *Luculentum argumentum diuinæ in Angliam benignitatis, atque illius ad fidem, tanto postliminio, redituræ, tam lubenti fortique animo mortem, in odium fidei illatam, perpessos fuisse, tot nobiles laicos, diuersarum familiarum religiosos viros; & sacerdotes e clero secularis quorum*

rum Virtutem author prosequitur, Eminentissimi Baronius, & Bellarminus laudant; SS. Congregationes S. Rom. & Uniuersalis Inquisitionis & SS. Rituum cordi habent; Romani Pontifices commendant nulla ætas tacebit

pag. 73

Author. Homil. in varia loca S. Math. attribut. Chrisostomo.

Aliæ sunt terrestres pugnæ, aliæ cœlestes victoriæ. In prælio Christi moriendo vincitur, cadendo surgitur, victoria per interitum comparatur.

NARRATIO
MORTIS,
In odium Fidei
LONDINI IN ANGLIA
illatæ

R. A. P. MAVRO
SCOTTO,
Ordinis S. BENEDICTI
Monacho &c.

Hæresi, in Anglia rerum potitæ, & conanti proterere catholicam Religionem, complures egregia doctrinâ viri se opponunt: ijs se adiungunt sodalitij S. Benedicti Monachi: e quibus P. Maurus Scottus, aliјq. dum partes suas implent, in odium fidei, a fidei hostibus trucidantur.

HÆRESIS, quæ timide caput ex antro extulerat sub Henrico VIII. Angliæ rege, immutantibus quamplurima ab eo statuta

 suc-

successoribus, totum mox regnum pestilenti halitu perflauit. Vt quod in diuinis rebus integerrimæ olim fuerat sanitatis, iam tum esset propemodum conclamatæ. Neque visum immani monstro satis insæuijsse in catholicam fidem, donec sacra cum hominibus loca, cum pietate, pietatis plurima, & præstantissima sustulisset monumenta, & perruptis dirutisque veræ claustris Religionis, latissimum aditum patefecisset omni, quæ ex inferno mox erupit, impietati.

Fortissima pectora opposuerunt Fisheri, Mori, Copi, Vitingi, Fecnamij, Harpsfeldij, atque alij quam plurimi præstantes doctrinâ, & pietate viri, vt vel erumpentem opprimerent, vel sisterent furentem: verũ illa sceptro potita, regnũ sibi firmare, & quâ potentiâ, quam supremi fasces illi conciliarant, quâ dolo, & fraudibus, quibus eam sua instruxerat indoles, fidem orthodoxam conculcare, proterere, toto regno exterminare aggressa est. Sed premere potuit, non opprimere doctissimorum virorum operâ defensam, diuino protectam numine, & tot gloriosam trophæis, quot pugiles habuit sanguinem ei commendatæ oppignorantes.

Hoc

Hoc in agone, e clero, quem vocant, seculari, virorum, claritudine sanguinis, doctrinâ & zelo domus dei insignium, fœraci; e sapientissimâ Societate Iesu, perniciei hæreseos destinatâ complures postea singulari decertãtes virtute, coronas, nullo æuo interituras, sibi pepererant. Sed poscere videbatur arena nonnullas e Benedictinâ phalange cohortes, quæ in partem discriminis venirent: vt, quibus Anglia plantatam debebat fidem, eorumdem in eâ seu conseruandâ, seu restituendâ operam non desideraret.

Verum enimuero monasterijs regio edicto subuersis, & monachis, quâ interfectis, quà iussis exulare à Regno, res eorum, tenuissimo pendentes filo, solus e numerosis agminibus, quæ tot statiua repleuerant, Sigibertus Bucleus, monasterij vestmonasteriẽsis prope Londinum olim asecta, ægre sustinebat. Hunc, Regina Elisabetha capessente habenas regni, post varias perpessiones in vincula coniectum, pœnalis carcer habuerat quadraginta ferme annos, diuinâ benignitate conseruatum in viuis, ne vnquam intercideret a nis perennis successio Benedictinæ familiæ, à magni Gregorij æuo, quo Angliam

Christo peperit, ad nostrum hoc infœlix, quo cum alijs, e fœcundâ laborantibus pietate iterũ eã parturit deo. Vltimo enim seculo cadente iuuenes quidam Angli, benigniori cœli fauonio eorum perflante animos, è seminarijs in viridaria Benedictina Hispaniæ, atque Italiæ translati, in eos sese induerunt virtutis, & scientię fructus, futuros Angliæ salutares, vt ad eam missi, atque admissi à Domino Sigiberto Bucleo ad veterem congregationem, vt loquuntur, Anglicanã, illi, velut surculi non degeneres inserti fuerint. Neque multo post alij eorum exempla secuti, atque ablegati ad Anglicanum agonem, debitũ sibi stadium, suorumq. vestigijs fœliciter detritum, gressu non impari decurrerunt. Nonnulli post multos in orthodoxa religione amplificãdâ labores, carceres, quęq; illos solent indigna, atq. ærumnosa comitari, perpessi, partim vinculis partim exilio, præclarâ confessione obierunt. Alij militari gladio, dum insolentius in bello ciuili grassatur, alij forensi calculis Iudicum sublati, honestissimam causam, quã, hæresi nequicquam fremente, propugnãdam susceperant, effuso sanguine decorauerunt. *Et illis* quidẽ (vt S. Augustinus de S. Ioã-

ne

ne Euangelista philosophatur) *non quia passio defuit, ideo passioni animus preparatus deesse potuit. Non sunt passi, sed non potuerunt pati; praeparationem eorũ deus nouerat. Quemadmodũ tres pueri arsuri missi sunt non victuri, &c. interroga ignes; passi non sunt, interroga voluntatem, coronati sunt. Nam,* vt inquit S. Chrysostomus S. Paulus ait; *quotidie morior. Quomodo quotidie moreris? quomodo fieri potest, vt vno corpore sexcentas mortes excipias? proposito nimirũ animi, inquit, quodq; ad mortẽ sim paratus.* I*ta Deus etiã declarauit. Etenim Abrahã non gladiũ cruentauit, non altare rubefecit, non Isaac iugulauit; sed tamen sacrificiũ perfecit. Quis hoc ait? ille ipse, qui sacrificiũ suscepit.* non pepercisti, *inquit,* filio tuo dilecto propter me. *Atq; viuũ eũ recepit & incolumẽ reduxit, quomodo igitur nõ pepercit? quod non factorum exitu, sed animi sententiã,* inquit. *de eiusmodi sacrificijs soleam iudicare. Non mactauit manus, at voluntas mactauit &c.* S. August. serm. 106. de diuersis S. Chrysostomus oratione de S. Eustachio. Genesis c. 22.

Istos autẽ *Etsi latro oppresserit*, sustulerit, inquam, nõ publicus fori, sed priuatus militis, at persequens, atq; in fidei odiũ ensis, ex sententia tamen S. Cypriani, *spectat militem suum Christus, vbicumque pugnantem.* Cyprian. epist. 56

Hi vero, *primae victimae Christi vocati*, forti & stabili mente, animoq; immobili aduersus omnes mundi minas terroresq; diaboli durantes, confessiq; bonã corã tribunalibus Origin. in Ioan. ad illa verba Ecce Agnus Dei.

bus confessionē, & totos se permittentes la-
nienæ, & crudeli morti, *exierunt hinc læti,*
Cypr. ex-hortatione martyrij cap. 22. *exierunt inter pressuras & angustias*. illustri te-
stimonio consūmati. In his fuerunt Mar-
cus Barcuuorthus, Georgius Geruasius,
Ioannes Ruberti, Thomas Elmius, Mau-
rus Scottus, Albanus Rhò, Ambrosius Bar-
lo, Philippus Poelus. Nos presēti opuscu-
lo, quæ ad nostram peruenerunt notitiam
de P. Mauro Scotto, quantum in nobis
est, transmittemus posteritati, de cæteris,
si Deus dederit, postmodum acturi. In-
terim, quid de illis Vrbanus VIII. inter
optimos maximos Pontifices doctissimus,
censuerit audiamus.

Vrb. VIII. in sua data Rom. anno Pont. X.

Vrbanus VIII. &c. Plantata in agro dominico veneranda congregatio monachorum Angliæ Ordinis S. Benedicti, quotidiè in Ecclesia militante producens uberes fructus ad Christi fidelium animarum salutem, non solum nos inducit, sed volun-tarios facit &c. Attendentes quod monachi præfati, imitati ordinis sui antiquum decus, gloriosæ mem. Gregorium Papam Primum, pariter prædecessorem nostrum, qui per Benedictini Ordinis Monachos Britanniam Christo peperit, Angliam ad fidem Catholicam reducendam operam nauent, ac proficiscendi in patriam, ibique fidem prædicandi se iuramento astringunt &c. Charissimis in Christo filijs nostris modernis, & pro tempore existen-

tibus

tibus regibus, ac dilectis filijs &c. prædictam Congregationem Anglicanam, eiusque monachos pro Christianæ religionis professione à patria exules, & pro fidei catholicæ plantatione, usque ad sanguinis oppignorationem & vitæ discrimen decertãtes plurimum in domino commendamus. &c.

P. Mauri Scotti; Patria, Parentes, studia, conuersio ad fidem catholicam, recessus in Hispaniam, vbi monachum induit.

CAP. I.

GVlielmus Scottus (ita enim dictus fuit ad sacrum fontem; quem nos appellabimus Maurum (quòd nomen id cũ Benedictino schemate assumpsisset) Chigvvelliæ in Essexià natus, patrẽ habuit Gulielmũ Scottum, claro sanguine, & longâ auorum serie illustrẽ. Pueritiâ in litteris humanioribus non infœliciter positâ, Cantabrigiam ad seuerfores missus fuit. Inclinante autem eum suâ indole ad studium iurisprudentiæ, e collegio Sanctissimæ Trinitatis, quod biennium incoluerat, cõmigrans ad Aulam, quam vocãt eiusdem Beatissimæ Triados, (vbi ea prælegebatur) sexennem ei operam impendit. Sed dum spirans speransque bullatas nugas, opes, inquam, dignitatesque, & quicquid scien-

ſcientiæ, quam conſecutam ſe exiſtimabat, præmio eſse poſſet, magna ſibi fallaci tripode vaticinarêtur, ad maiora ipſum diuina bonitas, certiori prouidẽtia, diſponebat.

Adhuc enim in caſtris hæreticorum erat firmâ perſuaſione, doctrinam Eccleſiæ Romanæ bonis moribus inimicam, pernicioſam regibus, contrariam Euangelio, odibilẽ Deo, nihil in ſe habere, aut ſolidi, aut ſinceri; cum, eo inſpirante, qui iuſtum per vias rectas deducit, viri Catholici ædes ingreſſus, in libris, quos caſu repertos, curioſius peruoluit, catholicum quendam offendit. Res tam fortuitâ & exilis, tam certæ ingentiſque fœlicitatis illi occaſio fuit. Inſitâ hominibus auiditate ſciendi nondum comperta, atque vt depromeret, quod oculatus teſtis catholicis poſſet obijcere, illum in manus ſumptum repetitâ lectione excuſſit, ſed, numine ita diſponente, alijs longe ſenſu atque exitu, quam propoſuerat ſibi. Examinatas enim perpenſaſque ſerio illius pietatem & doctrinam, toto inuenit diſcrepare cœlo ab ijs, quæ ſuæ ſectæ doctores in catholicorum ſcripta, moreſque detonare ſolebant, & catholicos, tam vera credere, quam vere fallere, & falli proteſtantes,

qui

qui alias longe opiniones, ridiculas sæpe, sæpius monstruosas illis affingunt. Sed hoc maximi, inquit, momenti est, atque altioris indaginis, non horulæ vnius. Redijt igitur domum in alium prorsus virũ dexterâ excelsi mutatus.

Nam sicut alexipharmacum extremâ administratum laborantibus valetudine, dum virtutem vireſq. exercet, morbumque edomare conatur, totum concutit hominem, funditusque propemodum euertit, ita gratia diuina superne illi infusa, dum hæreseos venenum, quo intabescebat, aggreditur, oppugnat, occupatoque diutius loco eijcit, totum illum saluberrime conturbauit. *Descenderat*, quidem *Angelus, & mota fuerat probatica aqua piscina, sed hominem nõ habebat*, à quo mitteretur in illam: deiectusque fuerat de vanæ ambitionis ferociente equo, & cum Paulo ad terram prostratus, sed deerat Ananias, qui, quid ipsum oporteret facere, doceret. Ioan. c. 4. 5 Actorum c. 9.

Quod igitur re ancipiti optimũ factu erat, ardenti humilique Deum orauit prece, vt patefaceret, quæ fides amplexanda esset, quæ via ineunda, vt cœlo magis placeret.

Duobus annis hæc lucta durauit. *Nam*

vt B.Gregorius, ait, *Homo in sua conuersione sæpe multum affligitur, dum hinc spiritus vocat, hinc caro reuocat; hinc amor noua conuersationis inuitat, hinc vsus peruersa vetustatis impugnat*. Præterea, hostis perpetuus, & fœderis nescius Behemoth, *qui absorbebit fluuium, & non mirabitur, & habet fiduciam, quod Iordanis influat in os eius*, vasa, inquam, nedum præscita iræ, sed prædestinata misericordiæ trahere secum cupit in ruinam, qui *nunc aperte & violenter, nunc occulte, & fraudulenter, semper autem malitiosè, & violenter impugnat*: mille nocendi artes & fraudes mille semper quidem exercet, numquam vero plures, aut versutas magis, quã hominem, ab ipsius haris ad aras proficiscentem Dei, dũ remorari conatur. *Hostis noster*, inquit S. Gregorius, *adhuc in hac vita nos positos quanto magis sibi rebellare conspicit, tanto amplius expugnare contendit: eos enim pulsare negligit, quos quietè iure possidere se sentit.* tum enim *discutit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus, & ibi quærit causas nocendi, vbi quemquam viderit studiosius occupari*. Tum male imbibitas prius opiniones, innatas homini affectiones nondũ depuratas, carnis illecebras, vanitates mundi, insanum agmen, submittere solet, quicquid ingenio, & astu valet, quic-

S.Gregor.

Iob.c.40.

Bernard serm. 3. de operibus misericord

S.Gregor. 14. moral. c.12.

S.Leo in serm.

quicquid habet fraudis doline, adhibere consueuit. Quæ vniuersa, ne indoli & artibus deesset suis, toto nisu applicuit, vt iuuenis animum recta cogitantem distorquere posset, eique persuadere, sectam, in qua natus & enutritus fuerat, ne desereret, neue Romanam, à qua eousq; abhorruerat, fidem amplecteretur.

Sed materia triumphi fuerunt illi machinamenta, artesque diaboli, quæ concutere potuerunt, non diruere domum, quæ supra petram fundari cœpta, pluuiarum iras, insultus fluminum, turbines ventorum contempsit. Quicquid enim, vel ipse, vel suggestu illius nefarij homines tendicularum, aut obicis collocabant, detegebat ijs, *qui linguam habebant eruditam, vt scirent sustentare eum, qui lassus est, verbo,* Isaiæ c. 40. v. 4. omne perplexum enodare, exhaurire difficile, eorũq; consilio, & ductu, implorato diuino lumine remouit. Grauis hæc lucta fuit, atque in biennium extracta. Post eam vero, declinatis, hinc Scyllâ hæreseos, inde impietatis charybdi, & turbidissimis tentationum tempestatibus, & procellis, sanctæ matris Ecclesiæ gremio receptus, in tutissimo portu, vt postea fassus fuit, consistere sibi visus est,

& tum primùm viuere cœpisse, atque aurâ cœlesti frui. Atque vt videmus ciues, periculosâ vrbis obsidione solutâ, in omnem sese lætitiã effundere; ita ille non absimili modo, liber ab anxietatibus & curis, quæ, factâ impressione, animi illius quietem depopulabantur; ab amicorum sodaliumque tectis, sub amicitiæ nomine, cuniculis, quæ optimorum illius cogitatuum munimenta euertere satagebant; ab irruptionibus & insultibus dæmonũ, qui animæ arcem, diu possessam, summis contendebant viribus, stratagemmatisq. pessimis & periculosissimis defendere, solide exultabat. Deo igitur macis & exercituũ, liberatori suo, qui in suis pugnat, vincitq. cùm esset votiua tabula ponenda, vt quã posset præstantiorem, & spolia selectiora appenderet, semetipsum statuit ei consecrare, & dedere animabus lucrandis, quod gratissimum cœlo donatiũm, atq. anathema maxime acceptum esse sciebat.

Hũc in finem, vt eum vitæ cursum, qui esset aptissimus, institueret, premeretq. vestigia, non eorum solummodo orbis doctorum, qui Spiritus Sancti primitias habuere, sed ipsiusmet Iesu Christi, qui lux & lex Euangelizantium, cœlorum, terræq.

do-

dominus cum esset, habere noluit, vbi caput reclinaret, intemerati vteri fuit castissima proles, factus obediens vsq. ad mortem crucis; per tria, vt loquuntur, vota solemnia paupertatis, castitatis, & obedientiæ, eum voluit pro humana imbecillitate imitari, concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ, velut tria potissima impedimenta prælij, quod meditabatur, à se abdicando. Benedictinam autem familiam elegit in quâ ad palæstram hanc se exerceret, quod ex eâ prodijsset S. Augustinus, qui deuicto paganismo trophæum crucis in Angliâ primus erexit.

Relictis igitur parentibus & patrio solo, in Hispaniam profectus, monachumq. indutus in monasterio S. Benedicti de Sahagun, quâ potuit industriâ incubuit, vt eum sibi compararet doctrinæ & virtutis apparatum, qui necessarius esset fini à se destinato, vt seipsum, vitijs superatis, consecraret, animas, oppugnata hæresi, vindicaret, Deo.

Re-

Reuersus in Angliam, capitur. In carceres conijcitur. Mittitur in exilium. Denuo reuersus, denuo comprehensus, superintendenti Londinensi sistitur examinandus.

CAP. III.

EA virtutum palæstrâ, alijsque Hispaniarum, quæ plurimâ doctrinæ laude florent, Benedictinis Athenæis, postquam se exercuisset, iussus proficisci subsidiarius ad commilitones in Anglia decertantes, alacer & intrepidus prouinciam suscepit periculosæ plenam aleæ, & mortis, non vna facie terribilem. Quippè eductus per Dei gratiã ex barathro hæreseos, nullius discriminis, quò posset alios ex eodem eruere, formidans, in iter se coniecit cum bono Deo, & mari fœliciter traiecto, in Angliam peruenit.

Londinum appellenti spectaculũ dulcissimi horroris obiectum fuit. Nam, qui

ipsum

ipsum fide instructum orthodoxâ Romanæ Ecclesiæ reconciliarat, deducebatur ad mortem, eam fidem sanguine obsignaturus, quam multo sudore propagauerat. Quid enim dulcius, optatiusue potuit illi contingere, quam hominem intueri, virtute conspicuum, & quem amicissimum habuerat, colueratque vt patrem, pro eâ causâ mori, quæ testes suos, diuino Christi ore commendandos, cælesti patri transmittit. Habebat autem nescio quid horroris, virum optimum, atque innocentem promeritumque coronam, seu præstantissimis Athletis, siue ob seruatos ciues, debitam, manu carnificis suspendi, dissecari, dilacerari, corde atque intestinis in ignem proiectis, sacra membra, Spiritus Sancti habitaculum olim, iam in coelis, vt pie credimus, gloriosa, ebulliente aqua elixari, & contis affixa publicitus exponi, vt aliis essent terrori; eâ in patriâ, quam ipse in vias vitæ dirigere, inferni iugo oppressam, coelo asserere, secundæ mortis faucibus constitutam, Christi aure vitali restituere conatus fuerat.

Sed ille interim dextrũ omen rerũ suarũ accipiens, à præclaro hoc magistri sui exemplo, atque oratione illius ad populum cir-

cũfusum, e patibulo, velut è sanctioribus rostris habito, tanto fuit desiderio accensus sanguinis pro Deo fundendi, vt, sicut ipse moriturus in sua ad populum concione testatus est; nihil pluribus, aut ardẽtioribus votis à Deo petierit, quam vt fidem, quam prædicare venerat, posset cruore sigillare.

Et quidem illico in proximam spem venerat illius consequendi. Triduo enim post comprehensus à satellitibus, in vincula coniectus fuit. Sed nondum venerat hora illius: Deo, qui precantem audiuerat, necdum eum votis damnante, quò posset probari exactius, tantoque muneri, quantum erat pro Christo pati, formari. Et formari certè poterat in carcere, præclarâ patientiæ & virtutum stoe, inter latronum verberonumque barbariem & improbitatem, astutias fraudesque seruorũ, custodum satellitumque proteruiam, ipsius loci sordes, squallores, & vincula constitutus.

Anno, quinque dies si demas, cum his ærumnis colluctatus, cum sacerdotibus, qui rogatu Illustrissimi viri oratoris sub audiæ iubebãtur vincula cum exilio commutare, ergastulo emissus; traiecit in Belgium,

gium, ad ſui ordinis, gentiſque monachos, qui Duaci commorabantur. Sed oſtenſus tantum arenæ, cum exiſtimaret ſe nihil egiſſe dignum, aut deſiderio ſuo, aut promiſſo donandi ſe animarum vtilitati, fraternè ab ijs exceptus hærere noluit, ſed illam repetere, & ſanguinem hæreſeos ſi non poſſet haurire, ſuum dare.

Aſſumpto igitur nomine Gulielmi Craſordi, ſub quo voluit deliteſcere (more ſacerdotum Angliæ, qui fictitia ſæpius ſibi induunt nomina, ne facile dignoſcantur, aut damnum creent ſuis) fratribus valere iuſſis, in Angliam redijt. Redijt, inquam, ad carceres, fidemque, non pro roſtris, ſed e patibulo prædicandam, non verbo defendendam, ſed ſanguine. Protinus enim, atque Londinum attigit, cõprehẽſus à Croſſio, Coryphæo ſatellitum, qui ſacerdotibus Catholicis indagandis, & capiẽdis improbam nauant operam, ad eum, qui ſedi Londinẽſi, titulo Epiſcopi incubabat, ſubijciendus examini, abductus fuit.

Is erat Georgius Abbatus, (quem nos deinceps ſuperintendentem Londinenſẽ, vt loqui amant, appellabimus) vir catholico nomini infenſus, tum ſpecie muneris, quo fungebatur, tum zelo ſuæ ſectæ, cui

plurimorum catholicorum, nobilium fortunis, fide puerorum, quos abripi iusserat à parentibus hęresi imbuendos, sacerdotũ sanguine litauerat. Coram ipso cum audiuisset sistendum se, illiusque indolem esse, captiuam innocentiam, pro more fastosæ potentiæ; insolentius habere, acerbius in sacerdotes iocari, eosq. per ambages impetere & implicare interrogationibus, quæ plurimum in se & doli & damni haberent; existimauit sua sic fabricanda responsa, vt campum illi, quam posset, exiguum relinqueret ad euãgandum a re proposita, prospectandumue quæ esse possent damno Catholicæ religioni. Ipse hæc nobis in fine sui examinis, sua manu signati, hunc in modum declarat:

Quicumque hæc mea responsa legerit, si offensus fuerit illis, vel quod prætensum Episcopum non ornauerim suis titulis, ei vulgo solitis attribui vt my Lord, vel Illustrissime & Reuerendissime Dominationis vestræ; quod, vt verum fatear, non feci; vel quod responsa mea, non fuerint directa, & concinna interrogationibus illius: *scire ipsum cupio, quantum ad primum. Quod cum tituli præfati dependeant à verâ dignitate Episcopi, ille autem inuasor sit, Sicut in illo non agnosco authoritatem episcopalem, ita pariter neque illum agnosco*

sco dignum titulis debitis illi authoritati, ac propterea illos ipsi nolui dare. Quod libere illi dixissem, si causam, cur eos non dederim, a me petijsset.

Quantum vero ad alium meum modum respondendi, is talis fuit. Primo *quod audiuissem quo fastu alios plures venerandos sacerdotes examinasset, nullo vsus erga eos respectu, sed vt ingenium suum ostentaret, dicteria & scommata in eos ingerens: proinde dicto animo ad respoudendum processi; Si talis in me fuisset; sed reuerâ ego illum habui satis moderatum, & tranquillum, neque vllis in me conuicijs ferocientem.*

Deinde vt euitarem, multiplices ac friuolas quæstiones, quibus audiueram, eum uti solitum in huiusmodi causis, dum meæ conditionis homines examinaret, (sicut reuerâ post meum examen vsus est) quapropter persititi in primâ meâ petitione, nempe quam ob causam satellites me coram ipso sitissent? nam si directe respondisset, prout responsurum credebam, quod vulgatus rumor me assereret sacerdotem, ab hac vnâ interrogatione incœpisset examen, fuissetque vnâ meâ responsione conclusum.

Plane, si quis considerare velit superintendentes, quique eorum implebant vices, ipsumque magistratum protestantem solitos arrogantius insultare homini, si

quem nacti fuissent infirmioris animi, aut
doctrinæ, & deridiculo habitum populi
ludibrio exponere, inque illud incumbe-
Galat.c,2. re, vt *res* catholicorum *penetrarent*, vt eos
redigerent in seruitutem, & cum auitâ fide
exſcinderent; eumque in finem, quæſtio-
nibus ſubdolis onerarent: ſcilicet, *ſtuduiſ-
ſent nec ne, in partibus tranſmarinis? quo in loco?
qua ratione, quo tempore, qua via quem in finem;
cuius imperio in Angliam rediſſent? quorum fre-
quentaſſent, ædes? quorum opera ſuſtentati, qui-
bus in locis rem diuinam peregiſſent? quorum
excepiſſent confeſſiones? quidque in illis audiuiſ-
ſent? quos reconciliaſſent Eccleſiæ? quid ipſi alijs,
quid ipſis alij in ſacra expiatione iniunxiſſent, quot
ſacerdotes noſſent? quo hoſpitio vterentur? quis
illos eò conduxiſſet? qui libri ſub prælo eſſent? quæ
agitarentur proditiones? quando* P*apa miſſurus
eſſet plures ſacerdotes in Angliam? an arma in pa-*
Cõcertat Eccleſ. Anglicanæ pag. 57 73.100. 134. 297. *pam ſumere vellent? quid intimis animi receſſibus
cogitarent? quid faciendum foret ab alijs, aut quod
ipſi facturi eſſent, ſi hic vel ille caſus ſeſe offerret?
quidque ſibi tentandum exiſtimaſſent?* vt in con-
certationibus Eccleſiæ Anglicanæ videre
eſt. Hæc inquam qui conſiderabit non mi-
rabitur, virum genere nobilem, ſacerdo-
tem, ad fidem (cuius eximio ferebatur ze-
lo) prædicandam miſſum, Patriæ legum

non

non ignarum, neque inſcium doctrinæ ſacræ, animoſe, & fortiter reſpondiſse homini, ad prætenſum Epiſcopale munus ſublato, cætera laico, nulla in eum iuſtâ poteſtate prædito, Catholicorum oſori, hoſtique iurato fidei catholicæ, vt omnem illi materiam inſultandi præcideret, omnes, quantum in ſe erat, aditus præcluderet ad res catholicorum detegendas. Neque abſimile eſt magnum exemplum Baſilii magni ſingulari cum libertate reſpondentis Præfecto Valentis Imperatoris inquienti. *Nos, quid tandem tibi videmur? nihil ſane reſpondit Baſilius dum hæc iubetis &c. qua oratione commotus Præfectus, ac maiori ira ſuccenſus, e ſubſellio ſurrexit: quid, inquiens, poteſtatem hanc non pertimeſcis? cur vero pertimeſcam inquit S. Baſilius, quid fiet? quid patiar? quid patieris intulit ille, vnum e tam multis, quæ mea sunt poteſtatis. Quænam hæc ſubiunxit Baſilius? fac enim intelligamus, bonorum inquit proſcriptionem, exilium, cruciatus, mortem. Tum Baſilius ſi aliquid aliud habes id nobis minitare; horum enim, quæ adhuc commemoraſti, nihil nobis attingit &c. nemo replicat Præfectus, me nomenque ſuum adiunxit, ad hunc vſque diem ita eſt allocutus*, nec *pari verborum libertate. Cui Baſilius: cæteris quidem in rebus, o præfecte, manſueti, & placidi ſumus,*

S. Gregor. Nazianz. orat. 20. de S. Baſilio.

at-

atque omnium hominum abiectissimi, quemadmodum hoc nobis lege praescriptum est. Ac non dicam aduersus tantum Imperatorem, sed ne aduersus plebeiam quidem quenquam, & infimi ordinis hominem supercilium attollimus. Verum vbi Deus nobis periclitatur, ac proponitur, tum demũ alia omnia pro nihilo putantes ipsum solum intuemur. ignis autem & gladius, & bestia, atque vngulae carnem lacerantes, voluptati nobis & delicijs potius sunt, quam terrori. proinde contumelijs nos affice, comminare, fac quicquid collibuerit, potestate tua fruere. Audiat haec etiam imperator, nequaquam profecto nos vinces nec efficies, vt impia doctrinae assentiamur; ne si his quidem atrociora miniteris. vt mirum videri non debeat, neque indecorum si viri vtcumq. miti ingenio, humili, & modesto genere vitę, animo autẽ intrepidi, deiq. & catholicæ causę amantes, in primis non habeant homines, etiam excellenti dignitate constitutos, cum ipsos vident Deum, & catholicam causam in secundis habere. Potuit igitur vir egregius cum victore Hęreticorum, vt eum S. Hieronymus appellat, Hilario dicere: *cesset à nobis omnis maledictorum opinio, & quisquis petulantiam istud magis quam constantiam iudicabit, relegat* I*oannem dixisse ad Herodem, non tibi licet facere istud,* *sicut*

S. Hilarius lib. contra Constantiũ Imperator.

sicut etiam à martyre dictum est Regi Antiocho, tu quidem iniquus de præsenti vita nos perdes &c. non est igitur istud temeritas, sed fides, neque inconsideratio, sed ratio, neque furor, sed fiducia.

A Do-

A Domino ſuperintendente, quem Vocant, Londinenſi examinatur.

CAP. IV.

SVB initio ſæculi decurrentis comitia Angliæ excogitarunt iuramentum, omnibus quidem regni incolis pro re natâ, potiſſimum vero catholicis proponendum. Eo quidem prætextu, ſpecie tenus haud nugatorio, vt eſſent nec ne integrâ in Regem fide retegeretur; eo autem tenore, vt Paulus V. declarauerit; *præſtari illud à catholicis non poſſe ſaluâ fide catholicâ, & ſalute animarum, cum multa contineret, quæ fidei, & ſaluti aperte aduerſarentur.*

Paulus V. dat Romę 10. Cal. Octobr. 1606. Pontif. 2.

Lapis illud offenſionis fuit, ad catholicos feriendos maximè obuius, aptuſque, neque illi abſimilis, quo Iulianus, cui fidei deſertio orthodoxæ apoſtatæ cognomentum peperit, chriſtianos toties (callidius dicam an crudelius?) percuſſit. Is enim deorum gentilium admiſcebat imagines imaginibus Imperatorum, vt nemo has poſſet

Gregor. Nazianz. prima orat in Iulian. Imper.

poſſet pro more antiquo adorare, quin illis eundem exhibere cultum diceretur. Quod, ſi Chriſtianorum quiſpiam feciſſet, falſorum protinus cultor deorũ habebatur magnâ ſui nominis iacturâ, damno fidei, ſcandalo aliorum. Si vero fraudem ſubodoratus abnuiſſet, ne Deos gentium dæmonia cultu nefando impie proſequeretur; reus peragebatur maieſtatis violatæ, vt qui Imperatorem in ſua imagine contẽpſiſſet. Pari modo iuramentũ, cũ fidelitati Regi debitæ cõmiſta haberet, *quæ fidei & ſaluti animarum*, (vt Paulum V. declaraſſe vidimus) *aduerſarentur*, fidei ſalutisque naufragium facere dicebantur, qui illud præſtabant. Ducti autem conſcientiâ, & obedientiâ in ſanctam Sedem, qui illud renuebant ſumere, quaſi debitam regi fidem, vel exuiſſent, vel noluiſſent exhibere, proditores, patriæ hoſtes; maieſtati rebelles certo certius audiebant. Quantũuis enim paratiſſimi eſſent omnia maieſtati humanæ deferre, quæ diuinam non læderent; minus tamen longe hoc fuit, quam vt eorum poſſet innocentiam, fidei & catholici nominis hoſtibus probare, cum rudiores homines non poſſent, non vellent doctiores diſtinguere inter ea, quæ Cæſaris eſſent, & quæ Dei.

D Quo-

Quoties igitur in animo ijs erat, virum catholicum illaqueare, & peragere legis reum, cum alia vel deessent, vel futilia essent argumenta & machinæ, ad iuramētum hoc, veluti ad diram illam hastā, quæ secum semper ferebat exitium, recurrentes, illud deferebant, illud obtrudebant sumendum, nulla certius retia in capturā laxaturi: cum maxima catholicorum pars ob diuini, & Pontificij nominis reuerentiam, ob fidei indelibatæ seruandæ zelum, desiderium salutis illud respuerent.

Quod cum probe sciret Dominus Superintendens postquam plura interrogasset P. Maurum de nomine, patriâ, studijs, sacerdotio: atque ille, quo erat ingenio acri, animoque intrepido, ea elusisset partim, partim alternis interrogationibus implicuisset, ad iuramentum, velut telum in deuitatum, quo ipsum sciebat transfigendum, tandem deuenit, et commotiori feruens bili, quod eousq; non potuisset eum irretire, ait:

Superintend. *Tecum procedam eo modo, quo hæc tua effugia præcludam: Vidisti iuramentum fidelitatis publicatum tertio anno regni suæ maiestatis.*

P. Mau. *Vidi.*

Superintend. *Si forsitan illud nondum legisti, poteris modo legere.* *Non*

Non est necesse, credo enim me scire tenorem illius. P. Maurus

Bene. ergò uis hoc iuramentum præstare? Superintend.

Si mihi prius dicatur, quā ob causam, uelit ut ego illud præstem? & quare exigatur ab alijs huius regni uiris? respondebo directè huic quæstioni. P. Mau.

Adhuc interrogas? quid dicis? uis illud præstare necne? Superintend.

Cupio scire ut dictum est, quare illud exigitis? P. Mau.

Iuramentū hoc passim omnibus defertur, ut sciatur, an is, cui offertur; sit necne integra & indelibata fidei in Regem. Superintend.

Summâ meâ uoluptate præstabo iuramentum; quo testari potero fidelitatem, quam Regi meo profiteor. Proinde ecce me promptum ad iurandum, non tantummodo in tempus præsens, quod sim cliens fidelis suæ maiestatis, (quod totum est, quod uestro statuto uidemini requirere) sed insuper in præteritum et futurum: quod sim, fuerim, atque ad ultimam uitæ meæ periodum ero fidelis meo regi; quod plus est quā statuto uestro prætenditis. P. Mau.

Deerat in meo exēplari illius cōtradictio. Superintend.

An non dictum modo, iuramentum hoc non aliâ intentione proponi, quam ut subditorum fidelitas erga suam maiestatem probetur? At hoc, quin & amplius me facturum exhibui. Scribat igitur commentariensis, quæ ipse uerba dictabo: Ego, Maurus Scottus, iuro, quod fuerim, sim, atque ero usque P. Mau.

que ad ultimum uitæ meæ finem fidelis Regi, h[ære]dibus, ac successoribus suis. Atque hoc paratus sū iurare & signare calamo.

Superintend. Tuum non est fabricari iuramenta suo arbitrio. hoc, quod tibi præstandum exhibetur, compositum fuit à rege & Parlamento, qui præterea constituerunt, ut omnibus sine exceptione subditis suæ maiestatis illud administretur: Qui è suo concilio priuato sunt, atque ego ipse illud præstitimus. Propterea sepositâ omni deinceps quæstione, & tergiuersatione, responde mihi directè, an uelis illud necne præstare?

P.Mau. Si nihil aliud uobis satisfacere potest; respondeo, quod cum sua maiestas huius iuramēti exhibitione aliud non quærat, ut uos ipsi iam estis confessi, & sua maiestas iam declarauit; quam explorare fidelitatē suorum subditorum, quam me professurum exhibui, illud autē, prout hic iacet, amplius contineat, quam sua maiestas uidetur requirere; nempe, ut supra è Paulo V. uidimus fidei, aduersantia, & animarum saluti; proinde nolo illud eo tenore, quo hic iacet, aut facere, aut præstare.

Superintend. Bene et rotunde dictum, & contra tuum solitum modum respondendi. Sub hæc Superintendens Decano, quem uocant, Londinensi ingredienti, mirum ait, examen huius viri, accepitumque ipsemet legit Decano manum ad frontem; quo lecto cumque album gi-

ginē ad cælum Puritanorum more attollenti, & P. Maurum transuersim intuito, atque inquienti:

Ah Deus! tales homines hæc patria nutrit! factum bene Domine Crosi, quod hunc hominem comprehenderis. Decanus Londinensis.

Quare Domine Minister? quid est in hoc examine, quod tuo non arridet palato? P. Maur.

Quando nostri martyres steterunt coram vestris tribunalibus, omni interrogationi, & fidei suæ articulo semper responderunt, nulla ambage nulla circuitione vsi. Decan. Londin.

Bene quidem, Domine Minister: me examinent de articulis fidei, & ego etiam directe respondebo. quantum autem ad istas quæstiones friuolas, & impertinentes, non videntur responsione digna. P. Mau.

Tam exiguo prosequeris cultu primarium huius regni Prælatum? Decan. Londin.

Domine Decane, relinquas, relinquat illum, nā est intractabilis. Vocato deinde ergastulatio ait, *Hunc hominem in carceres reduc, atque ita conclude, vt nemini ad illum pateat accessus. Merito enim & illum suspicamur, & ab illo periculum. Aderit tempus prolixius cum eo agendi.* Superintend.

Si non admodum fallor vestræ authoritatis egre dimini fines. Nam potestis quidem me carceribus committere, nequaquam vero Tulliano concludere sicut iussistis. quod authoritatem vestram ordina- P. Maur.

riam excedit: si autem aliquam extra ordinem habetis, quam prædecessores vestri non obtinuerũt, cupio illam videre.

Si tibi irrogo iniuriam, dicam mihi scribe proximis comitijs, & respondebo. Atque his dictis recessit, repagulis iræ tam late reclusis, vt solo illius sanguine obstrui potuerint.

Superintend.

P. Maurus autem ad carceres reductus, atque in arctâ custodiâ biduo detentus, liberius postea habitus fuit.

Fe-

Fælix rerum nostrarũ exitus à Deo orandus, sperandusque; nihil tamen eorum omittendum à nobis, quæ ad illum conducant. Hoc Vsus consilio P. Maurus, ad agonem fœliciter consummandum, orauit diuinum auxilium, adhibuit suam industriam, atque aliorum preces. Cum Domino Richardo Neoportio sistitur comitijs, quorum forma in causis capitalibus describitur.

CAP. V.

EQVVS *paratur* ad *diem belli, Dominus autem salutem tribuit:* inquit sapientissimus Regũ, nos erudiens, rerum nostrarum foelicem exitum, commendandum Deo, ab eo orandum, sperandum ab eo. Ne tamen videamur illum tentare, nihil eorum omittendum, quæ nostrâ sunt in potestate, atque ad illum procurandum conducant. Vnde Liranus *Vadens ad prælium non debet omittere, quæ faciunt ad sui de-* Prouerb. 21. v. 31.

fen-

Liranus in locum prę dictum.

fensionem, ne tentet Deum; tamen debet à Deo sperare prosperum euentum. Hoc consilio vsus P. Maurus, cum videret grauissimum discrimen imminere sibi, iam persuaso, Dominum superintendentem operá omni eniti velle, vt morti adiudicaretur, nihil eorum prætermisit, quæ eum possent ad ætenam pręparare.

Toto igitur tempore, quod à suo examine ad comitia, à Paschate scilicet ad Pē tecostem excurrit, magno (vt scripsit testis oculatus) exemplo, & eorum, qui simul vincti erant, instructione, ijs incubuit exercitijs, quæ ipsum erudirent ad certamen, certanti diuinum auxilium impetrarent, Omnes vero amore complexus, quo consilio, quâ operâ potuit, adiuuit. Diligens sui custos, vt P. Hurstius, e societate Iesu, ipsi in carceribus contubernalis, retulit, cubiculum vix egrediebatur nisi ad prandium cœnamue, quibus absolutis, morulâque datâ familiari, cum aliis vinctis, qui plures erant, colloquio, mox ad illud reuersus totum se impendit studiis, & orationi ad Deum, à quo bonū omne firmâ fide, atque amore non dubio sperabat. Et suis solis viribus, aut qualicumque industriæ suæ non confisus, imi-

ta-

ratus doctorem gentium, alios accersiuit subsidiarios ad propitiandum Deum, *vt adiuuantibus ijs in oratione pro illo, ex multorum personis, eius, quæ in illo erat donationis, per multos gratiæ agerentur*. Inter alios RR: Adm. Patres Societatis Iesu literis compellatos orauit, suis precibus eum vellent non vulgariter commendatum habere, plurimis & suum in eos affectum testatus, & eo tum labores in Vineâ Anglicanâ, siue hos, suâ sub curâ, & institutione positos, ad militiam Christi sedulo formarent, siue illis in certamine constitutis operâ non segni, adessent; siue omni sese discrimini pro re catholicâ offerrent. 2.Corinth. 1.11.

Atque his alijsque intentus pietatis operibus: *quibus*, (vt inquit, Anonymus in narratione mortis illius:) *ad certamen se præparans, socios catholicos incarceratos multum suâ conuersatione ædificauerat*: cum Domino Ricardo Neoportio, siue de Nouo Portu, venerando sacerdote e clero, quem vocant, seculari, iterum ob fidem proscripto, traductus fuit e custodiâ Atriensi, (vulgo Gatehowsæ) ad carceres Nouæ portę, (siue Newgate) vt causam diceret in vicino prætorio comitijs proxime habendis. Quæ quoniam alio forsitan Anonymus in narratione mortis illius.

tan more, quam cætero in orbe fiunt, fas mihi in gratiam lectoris, rerum nostrarum imperiti, de formâ eorum in actionibus criminalibus nonnulla præmittere.

Caussarum in Angliâ capitalium iudicia, non iudicum commodo, aut arbitrio, carcerumuè fœcunditate, sed iuri bis, Lõdini quater in anno exerceri solent, ad hunc, quantum ad nostrum institutum attinet, modum. In aulâ seu prætorio, quingenûm, aliquando plurium capaci, erigitur tribunal, cuius partem eminentiorem occupant iudices quæstionis, è præstantioribus iureconsultis, quos ipsi *seruientes ad legem* vocant, selecti. Illis assident primariæ nobilitatis, aut dignitatis viri. Commentarienses, actuarios, & notæ minoris administros iustitiæ loca inferiora habent; plebe, & quos vel sua curiositas, vel amicorum discrimen, aut negotia eò adducunt, reliquam aulam implentibus. Stans ad septa reus, tanto populo spectante, & momenta causæ audiente, atque pro captu librante, accusatur, examinatur, absoluitur, vel damnatur.

Eò, delictum, cuius arcessitur, quod fieri-

fieri pene semper solet, inficiante, seque causamque suam permittente Dei, & populi iudicio, nominantur duodecimuiri, qui auditis, quæ intentat petitor, testesq. pro testimonio dicũt: quæque ipse reus siue ad horum labefactandam fidem, siue ad accusationem illius diluendam in sui defensionem adducit, in vicinum cõclaue discedentes, patrauerit necne crimen obiectum, discutiunt. Illis posteà redeuntibus ad repagula, & cum pronuntiantibus reum, vel non reum; crimen, putâ, intentatum fecisse, vel nõ fecisse, iudex nigrum Θ, vel T literam salutarem præfigit, damnat, inquam, vel absoluit.

Non absonus profectò modus procedendi, atque ad corruptelas iudicii amoliendas non ineptus. Non enim abditiori atque obscuriori cubiculo, sub vnius iudicis & actuarij inuidiâ aut gratiâ, vel laborat innocens, vel nocens sibi spondet impunitatem; sed omnia publice, tanto populo inspectante peraguntur. Verumenimuero aliquid videtur desiderari in duodecimuiris, qui, vt inquit Thomas Smitheus, *plebeij ordinis homines*, non semel artifices, vt plurimum iuris ignari, iudicio & doctrinâ sæpissimè non assurgunt ad di- Thomas Smitheus de Repub. Anglicana lib. 3. c. 2.

dignoſcendum, quo in puncto quæſtionis cardo vertatur. Præſertim cum eodem Smitheo teſte, *coram iudicibus de iure primũ inſtituitur diſputatio, & omnes fere actiones, ſiue capitales ſiue ciuiles fuerint, eó referuntur, donec tandem ad factum aliquod perueniatur à duodecimuiris examinandum.* Cum enim factum, contrario, atque alijs in regionibus, vſu, à Iure, vel dependeat, vel connectatur cum eo, ipſi iuris ſæpiſſime inſcij, quomodo poſſint illud recte diſcernere non video. Hinc euenit, vt iudex illud proponat, explicet, inculcet, manſumque quodammodo ingerat illis in conclaue ſecedentibus, atque accipientibus illud quam ſæpiſſime ab ore illius velut ab oraculo. *Vbi ſatis peroratum eſt*, inquit Thomas Smithæus *reſque teſtibus confirmata, iudex ſub verborum compendio propoſita à iureconſultis*, (nempe ſi actio ciuilis, ſi vero criminalis à petitore, & reo) *in vtramque partem argumenta duodecimuiris alte à capite repetit, teſtium dicta commemorat, rurſuſque facti ſpeciem inculcat.* Ipſos præterea ſi non pronuntiarint, quod ille exiſtimat de iure pronuntiandum, pecuniâ mulctare poteſt, publicæ ignominiæ notâ afficere, atque in carceres conijcere; prout factum non ſemel Smithæus,

Idem lib. 2. c. 16.

Idẽ ibid. lib. 3. c. 1

vbi

vbi ſupra, teſtatur. Vt mirum non ſit, nec infrequens, quò ille inclinat, ipſos ferri cadereque præcipites. Vt videbimus eueniſse in hac cauſâ, quam narramus P. Mauri, quem, præiudicio à iudicis, atque eorum, qui illi aſſidebant, voce deſumpto, nullo contra eum inſurgente delatore, teſte nullo, contra formulas diuini, & humani iuris reum pronuntiarũt.

Sed manum de tabulâ, nè huius libertatem cenſuræ luam, ſi quando mea fata ob fidem, & ſacerdotium, Deo volente, diſceptauerint.

Ab ipsissimet Iudicibus sacerdotij accusatur: D. superintendentem, eum præ cæteris vrgentem, vellicat, quod cum Episcopus haberi vellet, causis capitalibus se immisceret: condemnatur: fatetur se familiæ Benedictinæ monachum, & sacerdodotem: scribit ad suæ gentis, & Ordinis monachos Duaci commorantes.

CAP. VI.

DIES iam aderat comitijs habendis, iussusque in horam tertiam pomeridianam, cum Domino Richardo de Nouo portu ad ea se præparare, dolorem, quem fundendi pro Christo sanguinis auidus conceperat e communi famâ diuulgante, nullum in ijs sacerdotem morti adiudicandum, facile excussit. Intellecto enim, Dominum superintendentem ijs adfuturum, persuadebat sibi, hominem, quem graue infen-

infensumque expertus fuerat, nihil omissurum eorum, quæ precibus, vel authoritate iudices possent inducere ad eum morte damnandum.

Neq. eum sua opinio fefellit. Horâ enim præstitutâ, adfuit Dominus Superintendens, animo in cædem illius, vt postea patuit, obfirmato, & duobus primarijs Iustitiarijs (quos appellant) Prætori, & Syndico Londinensibus pro tribunali assedit.

Euocatus e carceribus ad comitium, simul vinctos auitæ fidei cultores, ad socias inuitatos preces, atq. enixe rogatos, deum ipsi vellet ancipiti cõstituto arena propitiare, blãde ãplexus, forti firmoq. animo, vultuq. cõstãti, qui omni in re, omniq. fortunâ sẽper illi idẽ fuit, ad subsellia profectus est. Iussus ad septa procedere manũque reorũ more attollere, manum sustulit, reum se esse negauit. Interrogatus de sacerdotio, neq. fassus illud, neq. diffessus, vbi inquit, delator, qui id asserat? vbi testes, qui deponant? Edwardo Coquo, primario Iustitiario, replicante, in casu *Præmunire* (lex ea est, quæ ab eà incipit voce, præcipuo in vsu contra catholicos) sufficere ad reum condemnandum si crimen nõ diffiteatur: Esto, inquit, ita sit in casu *Præmunire*:

nire: iâm vero agitatur de vitâ & morte, quæ secundum allegata & probata, vt iureconsulti loquuntur, ventilari debent.

At, inquiunt Iudices, cum intercedente legato Sabaudiæ, rex sacerdotes nonnullos vinculis relaxasset in exilium mittendos, ijs accensus, eo facto teipsum sacerdotem confessus es, & non dubio capitis periculo redijsti. Optimè quidem, respondit ille, si numerũ eorũ, quos oratores Principũ nonnũquam petere solent e carceribus dimitti, soli sacerdotes explerent. Accidit enim non semel vt nullo sacerdotio initiati, sacerdotum sub nomine delitescant eo beneficio vsuri. Fateor proinde, amicorum nomine mitem albo, cuius meministis, me inscripsisse, at sacerdotem me ascripsisse nego. Neque vnquam; essem necnè, aut à me petitum fuit, aut de me professus sum: neque ego, nec meo quisquam nomine, ab exilio, quod vocatis, me non rediturum spopondit.

Præ cæteris illi infestus erat Dominus Superintẽdens; cui ille, vestrarum potius esset partium silere, cum hominem vestri muneris & dignitatis, qui se vocat Episcopum, maximè dedeceat iudicijs capitalibus se non delegatum immiscere.

Ni-

Nihilominus ille vrgebat; ipsum, dum Grauisendâ Londinum cymbâ transferret se, ne mox capiendus detegeretur, proiecisse in profluentem Thamesim sacculū serâ clausum, qui postea à piscatore inuētus Archiepiscopo, (vt eum appellant) Cantuariensi oblatus fuit. In eo, præter horarias preces, numismata, & cruces, charta quędam reperta facultatem conferebat Missam supra & subtus terram celebrandi. Vnde arguebat, ipsū sacerdotem esse. Ad quæ ipse, fuerit, inquit, ea charta, concesserit facultatem celebrandi; at cui? sacculo ne, an alteri? nam si meum nomen in eâ non fuit, quâ infertur consecutione facultatem illam concessam mihi? me sacerdotem esse? me læsæ maiestatis, mortisque reum? Ergo poterit Dominus Superintendens argumentum hoc in sacculo recondere, atq; aliud expromere è perâ.

Eo autē peruicacius adhuc cōtendente ipsum sacerdotem esse, vicissim petijt, an ille esset sacerdos? illo respondente, se non esse, si non est, infit, sacerdos, ergo neque Episcopus, vt præ se fert, & cupit audire. At, at, replicat D. Superintendens sacerdos sum, sed non sacerdos missificās.

Cui ille, si sacerdos est, sacrificans est; sacerdos enim cum sacrificio, necessitudinē habet indiuiduam. Si autem sacrificans, ergo & missā faciens; nam quod vos sacrificium appellatis, Christianus orbis appellat missam, præter quam sacrificium in lege Christianâ reperire non est. In terminis igitur luditis, & illuditis populo, cum sacrificium fatemini, negatis missam. Ac proinde, cum sacerdos, vt fatetur, missificans non sit, neque sacerdos erit sacrificans; Si non sacrificans, neque erit sacerdos. Si autem sacerdos non est, profectò neque esse poterit, neque haberi debebit Episcopus, prout esse, & haberi prætendit.

Cum autem duodecimuiros intueretur, qui ex vtrinque prolatis debebant pronunciare, esset necne sacerdos: conuersus ad iudices, doleo, inquit, causam huius cognitionem tam imperitis hominibus committendam. Atq. vnum ex ijs digito commonstrans; iste, inquit, cui e cingulo pera dependet fabri instar, aut cerdonis ærarij, cum socijs suis, rerum forensium quam insolens rudisq.? quam ineptus ad sententiam in causà huius momenti proferendam? Imò qui, sacerdos

mas

mas animus existat, propemodum igno-
rat.

Et duodecimuiros alloquens, ægre sibi esse dixit, eos suæ mortis reos futuros. Animaduerterent igitur, hic non iudicium esse, sed coniurationem in illius mortem. nam cum e lege diuinâ, & humanâ, omni in recto iudicio esse deberent actor, testes, si necessarij, reus, & iudex; hoc in suo nullum actorem, nullum testẽ adesse, ipsismet iudicibus omnem partem implentibus, neque aliud adducentibus, à meris leuibusque coniecturis, & præsumptionibus, quas ipse iam infirmauerat. Illi autem, cum non ex ijs, sed secundũ probata solide pronuntiare deberent, quid faciendum de iure esset, mature perpenderent, ne morte ipsi iniuste irrogatà, sceleris conscientiâ agitarentur, & innocẽtem sanguinem iustissimus iudex Deus ab illis requireret. Sed illi, exposito à iudice quid iura statuerent in sacerdotes, quibusque argumentis constabat ipsum sacerdotem esse, in proximam cameram ab legati ad consultandum, post breuissimam morulam redeuntes, ipsum reum esse renuntiarunt.

Et ne nos etiam videamur hæc asserere

fine teste, quod in iudicibus quispiam fortasse culpabit, citabimus nobilem Gallum in suá huius tragediæ relatione ad Auditorem Illustrissimi Nuntij Galliarum dicentem pro testimonio hunc in modum.

Nobilis Gallus in suis ad Auditoré Illustrissimi Nuntij Galliarū.

Nemo cogitet, illum cum ad tribunal staret crudelis sententiæ expectatione perterritum, Nequaquam; purior erat conscientiâ, quam ut timeret, atque animo tam placato, ut dixisset quis, eò illum aduenisse, ut laudes laureasque reciperet. Examinatur quidem, sed perfunctorie, & ut aiunt, pro formâ, ut videretur umbratilis iudicij formulis satisfactum. Iam enim iudicatus erat. Quippe cum illi esset negotium cum hominibus, qui suâ putabant interesse eum morti addicere, non debebat iustitiam præstolari, sed quam posset male affecta in eum potestas vindictam effundere. Res fuit hactenus inaudita, illum à nullo delatum actore, nullis probationibus conuictum, solâ suspicione, quod esset sacerdos, (quod hic crimen lesæ maiestatis appellant,) iudicio duodecimuirorum, hominum pari inscitiâ atque malitiâ, capitis damnatum fuisse. Quo conscientiæ angore, tam iniquam sententiam pronuntiarint, cogitandum relinquo, atque suo mox exemplo docuit Episcopus Londinensis unus e iudicibus, egressus e comitijs plus Oreste furijs agitatus, atque homine proxime

iu-

tumulando magis pallidus, & exanguis.

Ille auditâ capitali sententiâ, sequè declaratum mortis reum, in genua prouolutus altâ voce dixit. *Deo gratias*: nuntium mihi exoptatum magis, magisue gratum, nullo vnquam tempore accepi. Conuersus deinde ad populum: hactenus, inquit, me sacerdotem confessus nō sum, vt suus esset legibus & stilo curiæ locus; constaretque, nū vellent iudices, peritore nullo, nullo teste, solis præsumptionibus & coniecturis me condemnare, quod cum factum ab illis; ad Dei omniumq. coelitum honorem, cōfiteor me ordinis S. Benedicti monachum, & Romano catholicum sacerdotem. Vos autem testes estote precor, nullum in principem, patriamue crimen à iudicibus obiectum mihi, solum ob sacerdotium accusato, solum ob sacerdotium condemnato.

His peractis, cum hora dimittendi curiam adesset, dilato in sequentem diem examine Domini Neoportii, iudices discessere. Ille autem ad ergastulum reductus, P. Hurstio è Societate Iesu, quem supra laudauimus, testante, sicut euocatus ad comitia ad dicendam causam, tam constanti, imperturbatoq. vultu, atq. si res

sua, non fuisset agenda processerat, ita reus iam declaratus reuersusq. ad carceres, ac si dictum, factumue contra ipsum nihil fuisset, altum silens, seque in cubiculum recipiens, totus in oratione fuit vsque ad horam cœnæ. Ad quam more solito accedens, conuersatusque cum socijs, ne verbum quidem de ijs, quæ ipsi in comitijs acciderant, locutus est.

Sub hæc, superiorem & monachos monasterij S. Gregorij Duaci in Belgio, quid circa se ageretur literis, quarum exempla damus, edocuit.

Literæ P. Mauri ad superiorem & monachos Mõrij S. Gregorij ordinis S. Benedicti Duaci.

Adm. R. P. & fratres plurimum dilecti. Iam tandem aduenit tempus à me expectatum diu, & plurimis votis expetitum. Heri ex ergastulo Atriensi, ad carceres Nouæ portæ traductus fui, cras ante reges, & præsides sistendus. Decretum inferius (iudicium,) *quid de me fieri debeat, iã constituit; Decretum vero superius* (cœli) *quid velit statuere hæreo dubius ob mea peccata, & indignitatem. Multum me debere fateor R. Adm. P. vestræ, & toti fratrum conuentui: me commendo. Seu vixero, siue obiero mortem, me, vti spero, præstabo filium obedientem Deo, sanctæ Ecclesiæ, & S. P. N. Benedicto. Exiguum tempus mihi superest multis negotijs conficiendis, & minus exiguo, vt me preparem tam lon-*

gin-

ginquo itineri. Tot occupationes me excusent, oro, apud R. Adm. Paternitatem uestram, & calami defectum affectus suppleat. Dico meum ultimum vale in hoc mundo, firmâ cum spe perpetuâ me societate omnium R.R. nostrarum in cælo fruiturum. Londini e carceribus Nouaporta 26. Maÿ stilo veteri 1612.

Filius, & frater Vestræ Paternitatis, & sui Conuentus.

Fr. Maurus Scottus.

Dominus Richardus Neoportius sacerdos e venerando clero seculari, & P. Mauri in morte socius, duodecim annorum puer proficisci cogitat ad bellum Hungaricum, quod contra Turcam gerebatur, sed postea subductis aliter rationibus, totum se destinat vtilitati patriæ suæ: Post septennium studijs impensum Romæ in collegio Anglorum, in Angliam reuersus, captusque, eijcitur in exilium: denuo rediens, denuo cōprehensus, proscribitur: tertio demum remeans, capitur: tribunali sistitur: examinatur: condemnatur.

CAP. VII.

DOMINVS Richardus Neoportius siue de Nouo portu, quâ prouinciâ, quo sanguine ortus fuerit, Neoportius, verũ illi, an commentitium nomen, adhuc me latet, qui

qui hactenus sola potui de illo rescire, quæ in actis P. Mauri commemorantur. Multa quidem non sunt; ea tamen, quæ clare arguunt virum fuisse magno animo, constantiâ inuictâ, singulari in Deum pietate, & zelo eximio ad propagandam, & propugnandã catholicã fidẽ. Qualiacunq; autem sint, cũ is mihi argumẽtum existat, cui illũ eadem fides, & certamen vniuerũt, nefas esset, ea prætermittere, aut calamo dissociare, quos tanta necessitudo coniunxit.

Et profecto, quanto esset in fidem amore, quantusque olim insurrecturus in illius defensionem, insigne documentum in ipsâ pueritiâ dedit, cum duodennis tantummodo cogitaret proficisci in Hungariã, nomenq. militiæ dare, vt pars esset illius belli, quod atrox cum Turcâ gerebatur, tam illi corporis vires, maiori animo compensaturus.

Subductis autem postea rationibus, cũ suæ, quam alienæ patriæ, plus se debere considerasset, fidemque in illâ iacentem ab hæresi proteri, consilio sapienter mutato, se totum illi dedicauit, & fidei in illâ vtilitati. Romam igitur profectus, post septennium studiis impẽsum ad eam mis-

sus, dum strenue remigerit, capitur, proscribiturque capitis periculo. mox repetens illam, denuo comprehensus, denuo in exilium eijcitur eadem pœnâ. Sed maius erat illius desiderium opitulandi fidei afflictæ, ardentiorque appetitio pro Deo mortis, quam vt quæcunque vel optima vitæ conditio extra eã retinere, vel mortis in eâ pericula deterrere eum possent à reditu. Tertium ad eam reuersus, tertium in carceres coniectus, post septem mensium vincula, ad causam capitis cum P. Mauro dicendam euocatus fuit.

Die igitur sequenti horâ matutinâ iussus ad septa procedere, manumq; attollere, sacerdotium protinus confessus, reum se maiestatis læsæ negauit, quod fuisset, vel eo initiatus, vel reuersus in patriam. At, inquit iudex, crimen est maiestatis imminutæ, e legum mente morte piandum, sacerdotium suscipere in partibus transmarinis, atque in Angliam redire. Ita forsitan, inquit, arbitrio legum vestrarum, nõ vero legis Dei. Leges vestræ nouæ sunt, atque ad vsum nouæ vestræ religionis; friuolæ autem, inualidæ, & nullæ, vbi legi aduersantur diuinæ, & mandato Chri-

sti

sti, *qui legifer noster est*. Cum igitur lex diuina sacerdotium commendet, Christusq. ipse sacerdos sacerdotes instituerit, atque initiauerit illis legitimâ vocatis authoritate, vt *vt euntes in vniuersum mundum, euangelium prædicarent*, non futilis tantum, sed impia lex erit, quæ sacerdotes damnat, reditum illis ad prædicandum prohibet; sacerdotio initiari crimen esse læsæ maiestatis declarat. Nullo igitur reatu teneor, quod sacerdos sim, & in patriã redierim, præsertim ciuis illius & regi subditus. Et plane leges vestræ, si me ob sacerdotium iure condemnent læsæ maiestatis, Christũ ipsum, si in terris versaretur, eodem iure, eiusdem criminis arcessere possent, & condemnare.

Isaiæ c.33.

Marci c.16

At, inquit Iudex, primi omnium sacerdotes perduellione in Regem sese commacularunt. Apagesis, respondit ille, nam Caluinistæ ipsum adhuc in matris aluo, cum ipsa illinc noctre apposito ad ventrem sclopo, mox relaxando, tollere voluerunt.

Duodecimuiros deinde respectans, quã mihi, inquit, displicet doletq. sanguinem meum his imputari! vos ipsi iudices, vos, qui sacerdotium quid sit, quid læsæ maie-

statis crimen nostis, de me sententiam ferte; isti vtrumque ita ignorant, vt nefas ducam, tantam illis, aut prouinciam imponere, aut ansam peccandi præbere: Iudicibus autem vrgentibus, id pro more fieri debere, se tandem, ęgrè licèt, permisit iis, qui post modicam in vicino cubiculo consultationem, ipsum reum denuntiarunt. Sententiam hilari accepit vultu, non alias lætior visus. Nam diem illum, tot materiam votorum, quem tot præstolatus fuerat annos, ad quam diutissime quidem, præsertim septem vltimis mensibus in carceribus detentus, se parauerat, tandem aduenisse, sincerè: & seriò exultabat.

Horis pomeridianis ambo ad tribunal reuocati interrogātur pro more à Iudice, quicquam ne dicendum haberent, quod eluere posset obiecta crimina, aut mortis sententiā ampliare? Ipsis autē plura adducētibus, cur solū ob sacerdotium reditūq. in patriā ad prædicādū Euāgeliū (nullius alterius criminis postulati) nō deberent legibus, diuinæ legi contrarijs dānari, silētiū imperauit. Et quia magnâ cum fiduciâ, animoque mortis impauido, sese causamque suam defenderant, obiecta diluendo

for-

fortiter & cum libertate; sumptâ inde occasione, populo vituperandos proposuit velut omnes modestiæ fines prætergressos, neque eum præ se ferentes animi submissionem, quæ eos decebat, eo in consessu, in quo alij eâ fuerant vsi. Ac tandem decretoriâ in eos tulit sententiã, quæ hũc ad modum ferri solet: *N. N. sacerdotia authoritate Episcopi Romani*, (ita Summum Põtificem appellant) *in partibus trasmarinis initiati, redeuntesque ad seminandum falsas doctrinas, & abducendum subditos ab obedientiâ, quam regiæ maiestati debent, & reconciliandum eos Romanæ Ecclesiæ, læsæ maiestatis rei, ad carceres remigrent, & trahæ impositi ad caudam equinam trahantur ad supplicij locum, vbi suspensi dimittantur viui; atque erutis corde & ilibus in quatuor partes dissecentur.* Iniectis mox vtrique manicis, reducti fuerunt ad carceres plectendi sequenti die peruigilio Pentecostes sacro. Et quidem, ni fallor, non incongrue, vt cui sanctissimo, & beatissimo spiritui debebant virtutis meritũ, salutis exitum, cum perenni gaudio deberent.

Mo-

Modus supplicij sacerdotibus Catholicis irrogari soliti: eo afficiendi D. Richardus, & P. Maurus trahæ impositi raptantur Tiburnum. P. Maurus oratione ad populum habitâ, seipsum & Catholicos à crimine læsæ maiestatis purgat, eorumque & suam innocentiam declarat.

CAP. VIII.

Tiburnum, quod loco supplicij nomen, duobus distat milliaribus ab ergastulo Portæ nouæ. Sua illud Anglis Caluaria, sacerdotum & catholicorum occumbentium innocenti sanguine, perinde atque nocenti eorum, qui digna factis recipiunt, rubricatum. Sacerdotes trahâ stramentiâ, vel fercâ ex vimine stratâ extensi, atque alligati, raptantur ad illud per plateas vrbis, pænâ graui admodum, & infami. Nã Traha (Italice Treggia) non rotis subuecta, sed repens, & tracta, ad caudam equinam,

 nam,

nam, propter silicũ, viarumq. inæqualitatem subsultans, corpora eorum, potissimum capita, quæ depressius inclinantur, frequenti, durâque concussione affligit.

Appulsi propè patibulum *aspiciunt subiecta oculis expauescenda tormenta: aduersus se parata,* lebetes, ignem, secures, *quæ, ut* inquit S. Ephrem, *in conspectum callidus hostis adducit, ut terrorem iis incutiat, & in formidinem sanctos vertat, aspectuque ipsorum suppliciorum perterrefactione, lingua eorum non amplius confiteri Dominum Iesum metu præpedita, tentaret, atque præsumeret.* Stat sub patibulo currus, quem conscendentibus laqueus fatali alligatus trabi injicitur, sed laxius, vt loqui possint astanti populo; quod illis permittitur prolixè non semel, dummodo nihil proferant, quod reipublicæ possit dãno esse. Orationem ad populum, & preces ad Deum cum absoluerint, aptato ceruicibus laqueo, currus à carnifice abigitur, ipsis in aere pendulis breuissimo tempore. Disciso fune, in terram decidentibus semiuiuis, sensu adhuc vegetis, atque in paratâ mensâ distentis, aperitur venter, quâ parte in virum desinit, atque erutis ilibus coniectisq. in ignẽ cor non raro palpitans ostenditur popu-

S. Ephrem in 2. SS. Martyrum laudatione

lo, carnifice exclamante, *Ecce cor proditoris.* Caput demum abſcinditur, corpuſq. diſſecatur in quatuor partes mox elixandas, & portis eminentioribus ciuitatis ad infamiam, terroremque aliorum affigendas. Euenit quidem, ſi quando incidant in Vicecomitem, (qui ſententiæ exequendæ præeſt) humaniorem, vt permittatur iis ſuſpendio mori in ipſo patibulo, atque amicis, vt corpora illorum ſecum referãt ſepelienda.

Hanc vltimam ſcenam, quæ iis ſupererat adornanda, ne homines magno animo & libertate magnificentius ſtruerent, ad præueniendũ populi concurſum frequẽtiorem, (qui tamen ingens fuit,) viſum maturare ſupplicium, horà ſextà matutinà illi præſtitutà.

Prodire e carceribus iuſſi, vltimum dixere vale Catholicis, qui eà nocte adfuerant iis, magnà conſtantià, & alacritate ſe ſe comparantibus ad certamen, vt eorum ſe precibus commendarent, & rei diuinæ ab ipſis in carceribus celebratę præſẽtes; facto illis ſuorum reatuum indicio auriculari, ſacroſanctam Hoſtiam ab eorum manibus ſumerent.

Do-

D. Neoportius ridenti vultu egressus, manibus ligatis, vti potuit, populo benedixit. Dum autem super traham se distenderet, P. Maurus iussus ab ergastulario exuere habitum monasticum S. Benedicti, quo indutus mori vehementius optauerat, vt cuius esset sodalitii, cum fide profiteretur, & togâ resumptâ ad populum conuersus dixit, se *de bono opere* lapidari, *iudicari de spe, & resurrectione mortuorum, & propter spem Israel catenis circundari*: Ioan. 3. 32. Act. 23. 6. & 28. 20. catholicum, & sacerdotem, ob catholicam religionem, & sacerdotium mori, non ob perduellionem, aliudue ob crimen, cuius ne quidem postulatus in iudicio fuerat, nedum condemnatus. Se integrà semper fuisse in Regem, vtpote clementissimum, fide, quam nullà vnquam cogitatione commaculauerat. Quinimo continuà prece orasse Deum, vt iram & flagella ab ipso, & regno auerruncaret. Si quo posset æternam beatitudinem illi comparare sua morte, eam se, vt iam pro Dei honore, & testimonio veritatis, ita pro illius salute libenter subiturum. Et mox ad sinistram D. Neoportii alligandum se collocauit. Toto itinere iacebant profundâ meditatione in se reducti haud leui

tamen, propter frequentes trahę succussus, pœnâ.

Tiburnum cum appulissent, P. Maurus vultum præ se ferens lætum, primus currum, fatale pegma, conscendit, funemq. & patibulum osculatus, flexis genibus tantisper orauit. exutis dein, præter indusium togamque, vestimentis, vt trabe deiectus expeditius posset dissecari, & in pedes sublatus, cruce, globulis precarijs, quos manu gestabat, appensâ, populo & sibi benedixit.

Annuente ViceComite, quem poposcerat veniam alloquendi populum, pollicitus, si quid diceret, quod esse posset offensioni id omne monitum se emendaturum, narrauit locum originis, parentes, studia, suamque, post multum in veritate indaganda laborem, luctamque, ad fidem catholicam conuersionem. Subiunxit, vt familiam Benedictinam ingressus, sacerdotio initiatus in Angliam venisset, non vt homines à fidelitate sua in Regem abduceret, sed S. Augustinū, in cuius et Magni Gregorij laudes se diffudit, imitatus, reduceret ad gremium S. Matris Ecclesię. Vt postea comprehensus, ergastulo conclusus, in exilium missus, Angliam repetijsset,

tijsset, atque alia, quæ nos capitibus II. & III. ex hac illius oratione ad populum habita retulimus. Addidit se denuò reuersum, denuo captum fuisse, carceribus conditum, postulatum in iudicio condemnatum sacerdotij tantummodo, nullo alio crimine obiecto.

Sed hæc dicentem Vice Comes interpellauit, contumaciæ in Regem, regnumque criminatus sacerdotes, quos aiebat, verbis protestari fidem, factis autem negare. Cui ille, quo id argumento, vel cuius artificio factum, vt Catholicis generatim, speciatim vero sacerdotibus id imputetur, vt contumaces in Regem existāt, disputare huius loci non est, bene tamen habet, nomen nobis obijcitur, sed res per Dei gratiam abest, quam fieri potest, longissimè.

Catholici enim sui esse officij sciūt, *Deū timere, Regē honorificare, & potestatibus sublimioribus subdi, pro ijs facere obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, vt quietam & tranquillam vitam agāt*. Hoc ijs sacerdotes inculcamus, qui Angliam nō ingredimur, vt subditos à suâ in Regē fidelitate abducamus, sed eos præcepto admoneamus Apostolico, *principibus & potestatibus subditos*

1. Pet. 2.
13. Rom. 1
1. Timot. 2

esse, dicto obedire, ad omne opus bonum promptos esse.

Ego autem nihil à me alienum magis esse profiteor, quam hoc crimen, qui conscius mihi non sum, vel minimæ cogitationis, quæ in Regem regiamue prolem, aut concilium priuatum peccet. qui vtinam alterius cuiusuis peccati æquè essem, atque huius immunis sum. Hoc in fide boni viri, iam iam morituri protestor, huius inuoco testem cordium inspectorem Deum, cuius mox tribunali iudicandus astabo. Et cor meum, protinus à carnifice euellendum, & monstrandum vobis, curiosius inspectate, & nullam, vel leuissimã infidelitatis maculã in ea reperietis. Quotidianas preces effudi, vt optimus Maximus Deus maiestati suæ felicitatẽ, sapientiam consiliarijs, regno tranquillitatem, omnibus beatitudinem concederet. Vt si crimẽ læsæ maiestatis existat, Deum pro illius salute interpellare, regno bene precari, cupere incolas ab hęresi ad fidem catholicam reuocare, reuocatos instruere, quid Deo prętare debeant, quid suis, quid regno, vltroneus fateor maximum me criminosum; qui, vt vno verbo absoluam, paratissimus sum regijs pedibus

me

me subijcere, illisque omnem exhibere obedientiam, quam leges Dei, naturæ, gẽtium exhibendam præcipiunt.

At, inquit Vicecomes, quæ debetur patriæ legibus, quibus vos maxime tenemini, non exhibetis. Illæ, ne sacerdotio Romano more initiemini, ne regrediamini in patriam initiati, sub pœnâ maiestatis læsę edicunt; illas ergo reuersi contemnitis, infringitisq. supplicij capitalis tantam ob contumaciam merito rei, merito estis plectendi. Quæso, infit ille, vir charissime, vosque optimi ciues, hominibus obedire oportet, an Deo? Deus sacerdotium instituit, homines prohibebunt? quod venerabile, ac sanctum illi, his crimen erit rebellionis? Christus suos misit in vniuersum mundum ad prædicandum Euangelium, sacerdotes ad prædicandum venimus deductâ legitime ab illo authoritate, & reos læsæ maiestatis peragitis? si leges, quæ hæc imperant, iustæ essent, iustè in nos dicto minus audientes ageretis lege, cum autem sint, vt vidistis, contra legem Dei, quo nos argumento ad obediendum illis compellitis, quo iure occiditis?

At

At legibus saltem vestris refractarij sumus? nequaquam: sed obedientes; legi Dei, cui, qui morem gerit, dici non debet hominibus refragari. Sed leges vestræ mortem decernunt sacerdoti in patriam redeunti, veluti rebelli, & violatæ maiestatis reo. Esto, decernant, potestatem habeant in corpora: anima tamen Dei est, quæ à Deo creata redempta ab illo, illi obedire debet, ne illius aduersata legibus, illum offendat. Nullo igitur iure, magna autem iniuriâ Catholici, & sacerdotes accusamur infidelitatis, & contumaciæ in leges, qui omnes comparati sumus regibus, legibusq. ab ijs latis, non propter pœnam, sed conscientiam, vt iubet apostolus obedire, earum viuere præscripto, eas sanctas, inuiolatasq. habere, saluo tamen semper honore, salua obedientiâ, quam debemus legi Dei. Hanc enim ne violemus, illas debemus posthabere, atq. anima quæ Dei est, vt Deo obediens, Dei sit, corpus ferro, flammæ, carnificinæ, morti, quantumuis ignominiosæ permittere.

Hic se inferebat minister quidam Prædicans, eumq. hæc dicentem *æquiuocare*, certo certius asserebat. Cui ille, absit à me Domine, absit; nam Deum sanctosque

que

que precor, vt mihi propitij non sint, si non sincere, atque ex corde locutus fuerim. Oro igitur te, vt credere velis homini morituro, me ingenio semper fuisse abhorrentissimo ab omni infidelitate in Regem, qui, indole misericordi & maximè benignâ, in mortem meam noluit priùs consentire, quam nonnemo, mihi tam notus, atque hic erit sine nomine, cui parcat Deus, ego enim illi ex animo ignosco, summis eam precibus ab illo impetrasset, dico, an extorsisset? Deum postmodum precatus pro Rege illiusque gnatis, & consiliarijs, vt omnes omnibus cumularet bonis, & donaret fælicissima æternitate, subiunxit: Sed quid hæc memoro? cur operosius me vindicare satago à crimine infidelitatis in Regem, à qua, ipsorummet iudicum opinione, tam longe absum, vt nedum non condemnandum me, sed ne arcessendum quidem illius in iudicio existimarint? morior igitur non rebellis regi, sed obediens Deo, catholicus, non proditor, non ob crimen maiestatis imminutæ, sed ob sacerdotium, & Romanam, atque orthodoxam fidem, à quâ non laqueus, non patibulum, non lebetes,

non

non ignis aut secures, mortisue supplicium quantumuis horrendum, non quæcumq. tormenta diaboli, me vnquam poterunt diuellere. Hæc ea fides est, quam maiores vestri tot seculis sanctissimè coluerũt, quæ; vt illos ad cælestia transmisit regna, ita vos pariter aliquando euehet, si eam amplexemini. Hęc sola in catholicâ Romanâ Ecclesiâ inuenitur, extra quam nulla salus est.

Datis post hæc duobus aureis carnifici, accipe, inquit, amice, libenter hos tibi dono, atque condono mortem meam. Faxit Deus, vt illius, & tui aliquando recorderis. Amicis, qui proxime aderant currui, alia amoris pignora distribuit, optimâ, inquiens, voluntate hæc elargior, pretiosiora, si habuissem libentius daturus. Sed in his, neque affectum debetis, neque spem vestram collocare, sed in æternis bonis, quæ solo in cælo reperiuntur. Actis demum gratijs Vicecomiti, quod diu, libereque loquentem sua sensa ad populum, tam benigne patienterque tulisset, Illustrissimo, atque Excellentissimo comiti Arundelio prope astanti, qui hæc postridie narrauit Regi, vt ferebatur ijs indolenti, alijsque

que illuſtriſſimis, & nobiliſſimis viris,
& ſpectatoribus, quod tanto ſuo incom-
modo voluiſſent ſui eſſe teſtes certami-
nis, ſeque, ſuumque ex hac vitâ exeuntis
agonem feriò, impenſiuſq. commendans
catholicorum, qui aderant, orationibus,
alacri, & tranquillo ſupra fidem ani-
mo (vt retulit, qui præſens
adfuit,) morti occur-
ſurus conti-
cuit.

D. Richardus Neoportius exponit rationes vitæ suæ: vindicat se a crimine lesæ maiestatis obiectæ; magno fertur desiderio patiendi mortem: abacto curru, cum P. Mauro fatali trabi appenditur. Vterque deiectus exenteratur.

CAP. IX.

HÆC dum peroraret P. Maurus, Dominus Neoportius, postquã satẽgisset errantem adhuc inter protestantium greges fratrem ad Ecclesię ouile reducere, totus orationibus intentus fuit. Currum deinde subiens, & P. Maurum complexus, Euge, inquit, *hæc est vera fraternitas*, honorificentiori in loco non potuimus conuenire. Donet Deus, vt tanquam viri boni moriamur. Actis carnifici gratijs, veluti de præstantissimo munere, ab eo mox recipiendo, precatus Deum est, vt illi ignosceret, gratiamque donaret, vt posset ab erroribus, in quibus versabatur, resipiscere,

re, atque impetratâ potestate loquendi à Vicecomite, hunc in modum exorsus est.

Duodennis adhuc puer proficisci decreueram ad bellum Hungaricum, vt sanguinem vitamque fidei orthodoxæ contra Turcam defendendæ impenderem, secundæ autem cogitationes mihi suggesserunt patriæ meæ vtilitatem. Considerabam enim, fidem etiam in illâ periclitari, eamque mihi potiorem esse debere alieno regno. Honestius preterea videbatur, homines, Ecclesię & Deo mortuos, ad vitã, quæ in Christo est, reducere, quam barbaris morti tradendis operam nauare. Cumq. alia non deessent argumenta, quæ ad iter Hungaricum me propellerent, dubiusq. hęrerem, in vtram me partem darem, ad Angliam me inclinarunt exempla duorum sacerdotum, quos examinari, & condemnari eodem in loco videram, in quo, lata in me sententia fuit: Hæc, inquit Vicecomes, tibi damno fuerunt, sileas ea, ne alijs pariter sint nocumento.

Proinde subiunxit, Romam profectus, postquam in Collegio Anglorum septennem operam studijs impendissem, missus à Summo Pontifice, in Angliam veni, non

vt subditos suæ maiestatis à suo subtrahe-
rem obsequio, sed attraherem ad antiquã christianam & catholicam fidem, authoritate S. Sedis in eâ plantatam tempore primùm Lucij regis, ac posteâ regis Ethilberti à S. Augustino ordinis S. Benedicti monacho. Post aliquot annorum in hac vineâ labores, captus fui, carceribus mãcipatus, & demum in exilium missus. Et quidem fortuna benignior ad commorandum me inuitabat, sed omnibus Angliæ, in quam tanto ferebar amore, posthabitis, denuo redij. Denuo autem comprehensus, atq. exilio mulctatus, blandientem rursus fortunam, & pinguiori vitæ conditione conantem me irretire neglexi, vt meæ me patriæ totum consecrarem. Tertio reuersus, tertio interceptus fui, carceribus Nouæ portæ conditus, atque à iudicibus condemnatus de sacerdotio, quo fateor me insignitum.

Quare, inquit Vicecomes, proscriptus redijsti? Dicam, inquit, propter obedientiã, quia missus ad prædicandum, obedire debui mittenti, & propter debitam patriæ meæ operam, vt illam, docendo, & prædicando, ab eâ vindicarem calamitate, quâ oppressam videbam, firmâ spe voti consequen-

quendi, annuente, & adiuuante Deo.

Nequaquam, inquit Vicecomes, ſed veniſti, vt factiones inſtitueres, turbaſque cieres in regem. Cui ille, veni, vt me opponerem hæreſi, ſupponerem autem regi. Manifeſta enim calumnia eſt, nos ſacerdotes rebelles eſſe, contumaces, aut offenſæ maieſtatis reos. Ad me quod attinet, ſacerdotii ſolius, non criminis cuiuſpiam in iudicio condemnatus fui. At certe cuiuis alteri ſi obnoxius fuiſſem crimini, illud commemoraſſent iudices, illud mihi obieciſſent, ob illud pronuntiaſſent morte mulctandum.

Neque eo tantum animo ſemper fui, vt me continerem intra pomæria obſequij, quod humillimi, & fidelis ſerui, & ſubditi ſuæ maieſtatis proprium eſt, ſed prætereа vt amolirer, quantum in me eſſet, omnes in eum dolos, machinas, & conſpirationes, quas protinus, vt reſciuiſſem, detexiſſem illi, ſuisue; tantum abeſt, vt voluerim ſubditos illius à ſuo in eum affectu, & obedientiâ alienare.

Quinimo, tametſi Catholici graui ſub perſecutione gemant hodierno die, illis tamen, quibuſcum contigit me conuerſari, vt Cæſari redderent, quæ Cæſaris eſ-

ſent, omnemque illi deferrent obedientiã, quam ſubditus regi debet, atq. à Deo pręceptã Eccleſia catholica inculcat, tã serio commendaui, atq. alia opera vlla, actiones. ue chriſtiano homine dignas. Paratus ipſi præſtare, quicquid eſt obsequij à legibus diuinis, naturæ, gentium, eccleſiæ iuſſum, ipſumq. quantum fas licitumq. ſacerdoti, defendere.

Non hæc ingero, vt mortem, deprecer, aut precer vitam, ſed me ipſum ſacerdoteſq. vt liberem à calumniâ infami, quâ inimicorum aſtu, & iniquitate apud populũ laboramũs deluſum, perſuaſumq. nos rebelles proditoreſque eſſe, vt rebelles, proditoreſque plecti. Atque, vt optimi ciues cognoſcant, non ob crimen læſæ maieſtatis, quod nobis falſo imponitur, nos occidi, ſed ob ſacerdotium, &, quæ ſacerdotẽ ex inſtituto optime decet, causã.

Pro hac vt mortem obirem, nunquam me exiſtimaui dignum, iam vero cũ Deus infinitâ suâ bonitate illud mihi conceſſerit, ingenti fiet gaudio, & exultatione meâ; qui tam cupidus illius ſum, vt ſi haberem tot vitas, quot capillos, vitasque omnium creaturarum huius mundi, atque angelorum, & ſanctorum in Paradiſo,

om-

omnes, si fieri id posset, lubens profunderem pro testimonio, & honore huius causæ, pro quâ debeo mori.

Docere inceperat, extra Ecclesiam catholicam nullam esse salutem, sed plura loqui prohibitus, cum gratias egisset Deo, quod eum dignatus fuisset hac morte, cuius semper fuerat cupientissimus, exclamans, *quid mihi est in cælo, & à te, quid volui super terram, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*, finem dicendi fecit. Psalm. 72.

Iussi ambo ad mortem se accingere, catholicis, qui aderant benedictionem impertiti, eorum vicissim orationes efflagitarunt. Alter mox alterum suos confitentem reatus absoluit, atque in alterius amplexũ ruit. Atque in humiles preces vterque demissus, se hostiam Deo obtulit, deprecatus, eam vellet gratam esse iubere, & pro nomine illius decertantibus adesse. D. Neoportio altiori voce clamante, *quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi, calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Domine Iesu suscipe spiritum meum.* Psalm. 115 Act. 7.

P. Maurus autem, *In manus tuas Domine commendo spiritum meum:* abacto curru, suspensi fuerunt. Dominũ Neoportiũ de trabe, viuum adhuc deturbatum erutis corde, & Lucæ 23.

ilibus excenterarunt, & capite abſciſſo, corpus in quatuor partes diſſecuerunt. Interim in ipſo patibulo ſuſpendio obierat P. Maurus, cui pariter inteſtinis euulſis, & corde palam oſtenſo à carnifice, clamitãte *ecce cor proditoris*, caput præciſum, corpuſque in partes diuiſum fuit.

Carnifex illorum membra, quæ iuſſus fuerat ſub facinoroſorum corporibus alte defoſſa recondere, ne facilè poſſent auferri ab ijs, qui optime ſciebant, quam ſpectabilis mors vtriuſq. fuiſset, acceptis pecunijs, permiſit amicis, ea ſecum, ingens ſolatium, aucturis.

Et tale cum hæreſi certamen, inſtituerunt D. Richardus Neoportius & P. Maurus Scottus, cupientiſſimi, quam perpeſſi fuerũt, mortis, quam plurium votorum vtrique materiam, ſumma vtriuſq. voluptate conceſſam à miſericordi Deo, fortiſſimo vterque animo ad Dei honorẽ ſubijt, gratâ catholicorum conſolatione, fideiq. honore, & incremento, *ſequamur in quantũ poſſumus eorum fidem, ſectemur animi virtutem, quâ terrena, & præſentia reſpuentes vim regnis cœleſtibus intulerunt.*

S: Eucherius in homil. de S. Genneſio.

In-

Luculentum argumentum diuinæ in Angliam benignitatis, atque illius ad fidem, tanto postliminio reditus, tã lubenti fortique animo mortem, in eà in odium fidei illatam, passos fuisse tot nobiles laicos, diuersarum familiarum religiosos viros, & sacerdotes è clero seculari; quorum virtutem author prosequitur, Eminentissimi Baronius, & Bellarminus laudant, SS. Congregationes sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis & SS. Rituum cordi habent; Romani Pontifices commendant, nulla ætas tacebit.

CAP. X.

FAteamur oportet, regnum Angliæ ingens argumentum fuisse bonitatis dei, *qui semen ipsi reliquit, ne tanquam Sodoma esset, aut Gomorrhæ similis*. semen, inquam, quo firmata, fœcundataque semper fuit Ecclesia ab eo, qui sanguine illam Isaiæ c. 1.

ſuo fundauit, deſponſauitque, ſanguine martyrũ fœlici propagauit incremento, prædixitque per Ezechielem prophetam, ſanguine duraturam. *Et dixi tibi, cum eſſes in ſanguine tuo: viue. dixi, inquam, tibi, in*
Ezechiel. c. 16.
ſanguine tuo viue, & multiplicatam quaſi germen agri dedi te. Neque enim *minuitur perſecutionibus Eccleſia, ſed augetur, & ſemper dominicus ager ſegete vberiori veſtitur, dum grana, quæ ſingula cadunt, multiplicata naſcuntur.*
S. Leo in ſerm. 1. de in feſt. ss. Apoſtolor.

Hoc ſemine, cum ſteriles arenæ hæreſeos dominarentur, atque infœlix lolium impietatis ſuffocare progrederetur ſegetes ſalutares, Eccleſiæ ager Anglicanæ reſperſus, copioſos manipulos in ſuperna horrea congregandos protulit, ſpemque non dubiam fecit, puriſſimum locuplete vſurâ triticum, euulſis denuo zizaniis, naſciturum. Nã Eminentiſſimo bonæ mem. Cardinale Alano teſtante, *Vbicunq. Deus pro eius nomine fortiter moriendi gratiam largitur, lætum ſuæ miſericordiæ præbet ſignum, oſtenditque ſe locum illum, & populum non deſerturum, cui tantam, tamque ſublimem benedictionem impertit; ſed aut mollliturum corda principis, & magiſtratus, aut copioſas ad tolerandum ſuppeditaturum vires, donec ſuæ diuinæ maieſtati, aut concedere tranquillitatem, aut totius regni ad fidem* con-
Card. Alanus in admonit ad Anglos cathol. impreſ. Auguſtæ Treuirorũ. [illegible]

conuersionem visum fuerit. Huic semini, sanguini, inquam, multiplicando inuicta iugula præbuerunt nobilissimi laici, viri fœminæque. Neque enim sui Angliæ defuerunt Tobię, *qui in hac fidei captiuitate*, posthabitis dirissimis edictis, vitæque, & fortunarum periculis, *viam veritatis non desererent*; sed cum alii irent ad *vitulos aureos, quos fecerat Ieroboam*, ad templa, inquam, hæreticorum, vt regiis parerent mandatis, *pergerent illi ad templum Domini*, deum rite, & purè in Ecclesiâ catholicâ adorantes; Non Sunamitides, quę cœnaculum, lectũ, mensam, sellam, & candelabrum prępararent Elizæo; sacerdotes nempe ob fidẽ proscriptos, & morte, si caperentur, mulctandos, paribus ipsæ fatis consumendæ, hospitio exciperent, fouerentque: Non Priscæ, & Aquilæ cum Onesephoris, *qui sacerdotum adiutores*, pro sacerdotibus *suas ceruices supponerent*, atque eorumdem *catenas tanto* suo discrimine *non erubescerent*; *sed refrigerarent*. Non Abrahami, qui sequentes Deum, e terrâ suâ, cognatione suâ, & domo patris sui egressi, bonis omnibus sponte cesserunt; ad sacrificandum Isaacos suos, & quicquid charum esset, aut dulce poterat, propter deum paratissimi.

Tobias c. 1.

2. Ad Timoth c. 1. AdRom c. 16.

Ad Hebr. c. 12.

Non illi demum, *qui currentes ad propositum certamen, atque aspicientes in consummatorem Iesum, sustinuerunt crucem confusione contemptâ.*

Nec parcè, aut timide seminarunt illud religiosi diuersarum familiarum viri, qui in Anglicanam messem legati, post multos in eâ excolendâ labores; totas sibi permiserunt aperiri venas illi rigandę. Vidit suos hoc in cælo S. Dominicus, face ac stellâ, doctrinâ & vitâ cum illuxissent, sãguine pluentes, vt agrũ corruptis humoribus hæreseos macilentum impinguarẽt. S. Franciscus vidit sacra illius ædificia, actis ab impietate cuniculis, collabentia sustentari à suis, & ductâ cruore fossâ muniri. Vidit Sanctus Ignatius suis, igne cælitus misso feruentibus, dum educãdis huic agro colonis, proferendis illius pomœriis, inerti illius glebæ lætâ vbertate ditandæ toti incumbunt, sudores, & sanguinem, quos scaturigine alibi non parcà emittũt, hic prodigâ ebulliisse. Vidit demum S. Benedictus suos antiquo insudantes operi, & vineam à se plantatam, cultamque diutissime, iam vero syluescentem multo repurgantes conamine, sanguine fœcundasse [illegible]

Sed clerus, quem vocant, secularis illum, præ cæteris copiose effudit, ingenti beneficio fidei, suâ gloriâ, aliorum applausu, *cunctorum mortalium*, vt Sixtus V. æterni nominis Pontifex ait, *admiratione*: quidni enim dicamus admirari alios, atque applaudere, cum accipiunt iuuenes semper, ingenuos, nobilesque, summo sæpe loco natos, relictis patriâ, parentibus & patrimoniis frequenter opimis, iuribusque primogenitura in alios non semel translatis, ad sacram hanc militiam conuolare, magno desiderii affectu, & spei dulcedine, non sacerdotiorum dignitatumue, quæ alios quandoque ad eam, forsitan, prolectant, sed squallidi carceris, laquei ignominiosi, truculentæ mortis. Sixtus V. dat Romæ 3. non Septembr. 1586. an. Pont. 2.

Intentant aduersarij, quæ Apostolus sanctis inflicta commemorat *ludibria, verbera, vincula, carceres*: *tentant, secidum secant*: *morticinia eorū*, ne quid desit terrori, *escas ponunt volatilibus cæli*. Et antiquo hæreseos dolo, atque artibus fraudulentis Iuliani, & Valentis Imperatorum, *vim ipsi dum afferunt, ne afferre videantur*, & sacerdotes *perferentes supplicia, tanquam sontes, & facinorosi cruciatu afficerentur*: diris & repetitis pro- Ad Hebræos c.11 Psalm. 78. Nazianz. orat. 3. & 32.

grammatis edicunt, sacerdotiũ romano ritu susceptum, crimen esse maiestatis violatæ, sacerdotesque proditores, faces rebellionis, & busta communis patrię. Vt optime in illos illud B. Ambrosij videa-
S. Ambrosius in Psal. 118.
tur quadrare; *Cum nihil rapuerint, nullum violenti oppresserint, nullius sanguinem fuderint, nullius torum putauerint esse violandum, nihil legibus debeant, grauiora tamen latronum sustinere coguntur supplicia. Qui loquuntur iuste, & non audiuntur; loquuntur plena salutis, et impugnantur; apud impios & infideles impietatis accusantur, cum fidei sint magistri.* Ipsi nihilominus honoris, & vitæ naufragium interitumque passuri, duplicique ob id laureâ donandi, hæc omnia præter habentes, eâdem alacritate, eodem impetu ad hanc arenam prosiliunt, atque ambitiosus quispiam ad aulam, ad honores, ad dignitates. Illâ videlicet galeâ adamantinâ tecti, quâ tutus ille, quem *non tribulatio neque*
Ad Roman. c. 8
angustia, non fames aut nuditas non persecutio, aut gladius, non mors aut vita potuerunt separare à charitate Christi.

Eufeb. lib. 8. c. 8. & 9.
Narrat Eusebius, *mirandam supra modum alacritatem, animique verè diuinam & singularem animi propensionem eorum, qui in Christum crediderint. Simulatque enim sententia contra*

priores

priores pronunciata fuit, alij aliunde ad tribunal iudicis prosilire coeperunt, seque christianos confiteri, acerbitatem, & multiplicium tormentorum modos pro nihilo putare, absque metu & terrore libere pro religione loqui, cum gaudio denique, risu, & laetitiâ, extremam mortis sententiam excipere, sicut psalmos, hymnos, & gratiarum actiones in Deum totius mundi conditorem, quoad extremum spiritum edidissent, laetis animis decantarent. Testisque est Tertullianus, *cum Antoninus in Asia persequeretur, omnes illius ciuitatis christianos ante tribunalia se, manu facto, obtulisse.* Ita illi generositate non impari, cum audissent, omnia crudelibus in sacerdotes edictis perstrepere, illos rebelles regi, patriae proditores, maiestatis perduelles, aquâ & igni interdictos ad poenam deposci, eosque vniuersos, qui eos reciperent, eiusdem criminis reos, eadem poena plectendos esse, atque cum illis, hos viderent exilio eiectos, vt aliqui in mendicitate aerumnosam traherent vitam, aliosque misero aspectu terrerent, illos audirent carceribus conditos, vinculis coarctatos, squallore enectos, equuleo extensos, tormentis exercitos, distractosque, aliquos in crucem actos, demissos semiuiuos, atque integris adhuc sensibus dissectos, acriori

Tertull. in scapulam cap. vltimo.

 con-

contentione in victoriam incumbentes, feruentius solito arenam poposcerunt, atque expeditionem in hæresim, vt eam, vel pugnando vincerent, vel moriendo triumpharent.

Card. Alanus apolog seminar. Ang. aduersus edictum regiũ pag. 267. impressum Augustæ Treuir. 1588.

Testis huius luculentus, (cum ipsamet quotidiana experientia) bonæ memoriæ Cardinalis Alanus *cum Rhemensis*, inquiens, *collegii alumni vidissent edictum regium publicatum Londini mense Ianuario, multi iuuenes petierunt in Angliam proficiscendi sibi copiam fieri, qui cum accepissent responsum, tempora hæc non esse satis opportuna huiusmodi profectioni, intulerunt, non fore operæ pretium, aut laborum præmio dignum, si sacerdos temporibus pacatis ingrederetur, seque ad id educatos, & seculo huic turbulento, & periculis pleno natos esse. Præterea ipsâ eâdem septimana sequenti nonnulli ad decem sacris ordinibus initiati sunt: ex quo facilè intelligitur, quantus sit eorum zelus, quantum iuuandæ patriæ desiderium. Quod caput est Deo, sit laus & gloria, non vsque adeo pericula, vel mortem effugiunt in causa tam fœlici, & honorabili, imo multi eam, si ita visum Deo, expetunt.*

Quoties dein eorum, dum vincti in carceribus detinerentur, audiuimus cũ Sancto Ignatio voces magna iubilatione cum

ex

exultatione: *Hic spes mea, hic mea gloria, hic mea indeficientes diuitiæ, hæc vincula circumfero spiritualis margaritas; in quibus mihi contingat consummari precibus ut vestris, & particeps fieri passionum christi, & mortis eius.* S. Igat. epist. ad Ephes.

Et latâ in ipsos, vel proxime ferendâ sententia mortis, cum accepissent, summa ope, & opera eniti amicos, vt ampliari donarentur libertate; cum eodem sanctissimo, & amantissimo Iesu viro exclamarunt: *Metuo charitatem vestram; ne ipsa me lædat. Si de me tacueritis, ego Dei fiam; si vero carnem meam dilexeritis, denuo currendum erit mihi. At vos potius operam date, vt immoler Deo. Id solum petite mihi, vt uires intùs, & foris suppetant, ut non modo dicam, sed & uelim esse, non solum dicar christianus, sed & inueniar. Ego voluntarius morior, si modo uos non prohibueritis. Obsecro uos, ne intempestiuâ beneuolentia me complectamini. finite me ferarum (o) suspendiosum) fieri, quo deum merear adipisci. Ignoscite mihi; quid mihi utile sit ego noui; melius mihi emori propter Iesum Christum, quam imperare finibus terræ.* Idẽ epist. ad Rom.

Demum rogatu cuiuspiam regij oratoris; aut amicorum industriâ e carceribus emissi, proscriptique poenâ capitis, &

regno eiecti, ad minas terroresque, peri-cula & perpessiones ferri, impauidi mor-tis, vitæ prodigi, fundendi sanguinis appe-tentes, arenam protinus repleuerunt, sibi ipsis succedanei.

Alia numerant collegia, & merito, e suo gremio, quæ prodierunt, infulas, pur-puras, tiaras: Anglicana autem laureas & triumphos. Quot enim alumnos, tot propemodum recenset, vel cruenta purpuratos certamine, vel destinatos arenæ. Quibus mors ipsa defuit, non ipsi morti, adfuit animus patiendi extrema; non contigit persecutor, qui inferret. Qui spectaculo cœlitibus digno, *circumeuntes an-gustiati, afflicti, in laboribus plurimis, in morti-*
2. Ad Corinth. c. 1. *bus frequenter, bonum heroicas certamen, con ser-uata fide, cursum consummauerunt*, hi in vin-culis illi in exilio. De quibus omnibus li-ceat mihi cum Cypriano dicere. *Quod in illis est, tolerauerunt quicquid tolerare parati &*
Cypran. Epist. 5. 37 *prompti fuerunt. Qui tormentis & morti sub ocu-lis Dei spontaneus obtulit, passus est, quicquid pati uoluit, non enim ipse tormentis, sed tormenta ipsi defue-runt. Tolerauerint, & ad finem usque, incorru-pta & immaculata uirtutum suarum merita per-tolerauit.*

Eorum vero, *qui fratres Domini, filij sanctissimi, receptacula Spiritus Sancti; digni habiti testimonio passionum eius, & fuerunt sanguinis ipsius, ut conformarentur morti illius.* Qui primæ victimæ Christo cognati, vestimenta sua sicut calcantium in torculari rubricata sanguine resperserunt effuso: horum, in quam, si quis velit numerum inire, inueniet excrescere ad ingentem, si quinquaginta propemodum, quos vnum collegium Anglico-Romanum produxit, quæ e collegiis Rhemensi, Duaceno, Vallisoletano, Hispalensi densa agmina prodierunt, ascripserit.

Clemens Roman. lib. 5. Const. c. 5.

Digni plane omnes Eminentissimo calamo Cæsaris historicorum Baronii, & doctissimo fortissimi Ecclesiæ pugilis Bellarmini. Digni sanctioribus curis sacrarum, vt vocant, Congregationum [a] sanctæ Romanæ & vniuersalis Inquisitionis, & [b] sacrorum rituum. Digni, qui in sanctissima sollicitudine, quam Romani Pontifices, [c] Pius, [d] Sixtus, [e] & Paulus huius nominis Quinti, [f] Gregorius XIII. [g] Clemens, [h] & Vrbanus VIII. omnium gesserunt ecclesiarum, locum inuenirent, eosdemque haberent suæ mortis testes, suarum

Baronius in notis ad 29. Decēb. Bellarm. respons. ad apologiam pro iuramento fidelitatis ... præf. Rom. 1609. pag. 198. & 200

a 2. Decēb. 1642

b 22. Mar. 1642.

c 21. Febr. 1567. & 20. Feb. 1570.

d 3. non. Sep. 1586.

ea cominus tes landem. Tanti & tam lucu-lenta in eorum commendationem, qui errare non possunt, non solent adulare, insurrexerunt.

Pergite praestantissimi Iuuenes, Reuerendi admodum Patres, Sacerdotes venerandi, nobilissimi Laici, quò vestra vos virtus, atque aura diuina vocat, ite, ite pede fausto. Vobis supplices tendit manus Anglia vestris sudoribus à iugo haereseos vindicanda. Tendunt catholici, vt de manu inimicorum suorum vestro cruore liberati in sanctitate, & iustitiâ deo possint sine timore seruire. Vestri lytro sanguinis restitui sibi postulant, Ecclesia nobilissimum membrum, fides libertatem, cultum caelites, Maria coelorum regina dotem, regnum sibi olim obsequentissimum Christus, aras, & templa Deus.

Vos legitimè certantes orbis suspicit christianus, qui eâdem pugnauerunt, vicerùntque arenâ, iam coeli indigites, vt piè credimus, laeti mirantur; prospectant angeli coelesti presidio adfuturi; inuicto patrocinio, numquã frustra inuocata Maria protegit; qui in vobis pugnat, vincitque, consolatur Christus, qui certantes probat, co-

e 10. Cal. Oct. 1606.
f 11. Cal. Maij 1529. & 12. cal. Feb. 1582.
g 7. Augus. 1601.
h 9. Maij 1631. & 23 Feb. 1633.

Anglia dicta olim dos Mariae

ronabit Deus. Pergite, inquam, pergite, vestra merita laudesque nulla vox æquare poterit, nulla de ijs lingua conticescere.

S. Gregor. Nazianzenus orat. 19. in laudem S. Cypriani.

Negotiatio omnium præstantissima est, quâ exiguo sanguinis pretio cœleste regnum emitur, ac breuia, ac fragilia bona cum sempiternâ gloriâ commutantur.

DE-

DECLARATIO
Authoris.

ROmanæ, ab ipsis illius incunabulis, Ecclesiæ perennis consuetudo fuit, memoriæ prodere Christianorum acta fortia, atque eorũ certamina, qui vitam diuinis præceptis posthabentes, ne fide exciderent, fidei hostium se permiserunt immanitati. Hunc morem imitatus, de morte P. Mauro Scotto Ordinis S. Benedicti monacho, in odium fidei illato narrationem institui, veritatem, quantum pro viribus potui, consectatus. Quam tamen, (vt morem geram decretis Vrbani VIII. fæl. mem. 14 Martij 1625. & 5. Iunij 1631.) declaro, profiteorque, non aliam me ab historica mihi vendicare, neque illi, quem narrandum suscepi, peculiarem cultum, aut venerationem. Sola enim citra errorem, eam præstat, hũc de-

Baron. in præcapitu lat Martyrolog. c. 1.

decernit Romana Sedes: utriusque tenacissima custos, & magistra. Huic perlibenter obedio, meque meaque omnia subijcio, certus, tam eum, qui illam sequitur ducem, non posse offendere, quam qui destituit, a veritate destitui, & sexcentis erroribus inuolui. Hoc corde credo, hoc ore confiteor, hoc manu signo.

P. Ioannes Rubeus Congregat. Angliæ Ordinis S. Benedicti Monachus.

Errata.	*Sic Corrige.*
Pag:18. lin.8.facerdores	facerdotes
20.12. in diuinam	diuinam
21.6. efl	eſt
22.13. paofecto	profecto
26.24. eo, modo	eo modo
27.21. præteuditis	prætenditis
62.2. obedientes; legi	obedientes legi.